

EPIGRAMMATA

Clarissimi Disertissimique Viri

THOMAE MORI Britannii

ad emendatum exemplar ipsius auctoris excusa

Beatus Rhenanus Bilibaldo Pircheimero, Maximiliani
Caesaris a Consilio, et Senatori Nurenbergensi S.D.

Belle prorsus convenire mihi visum fuit, clarissime
Bilibalde, si Thomae Mori illius Britanniae decoris
Epigrammata, quae nuper Erasmus noster Roterodamus,
ad me misit, tibi nominatim inscriberem. Siquidem
multis adeo rebus similes inter vos estis. Uterque iuris
peritus, uterque cum Rhomane tum Graecae doctus,
uterque non in publicis modo suae civitatis
functionibus versans, sed et ob singularem negotiorum
explicandorum dexteritatem, et in dandis consiliis
prudentiam, suo quisque principi charissimus, ille
potentissimo Britannorum regi Henrico, tu sacratissimo
Caesari Maximiliano. Nam quid de fortunis attinet
commemorare, quas utrique possidetis amplissimas, ut
vel hoc quicquid est ornamenti, quod ex diuitiis
accedere putatur, neutri desit, quin potius aedendis
virtutum maxime liberalitatis exemplis abunde supersit
materia. Sed et utrique pater obtigit non minus literis,
quam senatoria familia clarus. Itaque cum amicitiae
similitudo sit auctor et aequalitas, hanc Mori foeturam
tibi nuncupare congruentissimum duxi, ut quem multis
alioqui nominibus amore prosequeris, de his etiam
Epigrammatis impensius complectaris, ames,
magnificas. Huc adde, quod nemini rectius mitti
poterant hi lepidissimi lusus, quam ei, qui in hanc, quod
aiunt, harenam aliquando sit descendere solitus.

This text corresponds to pages 219 ff. of *The
Essential Works of Thomas More* (Yale UP 2019).
Edited by Jacquelyn Lee © CTMS 2019.

Nam is demum noverit, quam sit egregia res doctum
epigramma, quisquis ipse fuerit, suum non nunquam
ingenium in hoc exercitationis genere periclitatus. Sed
enim, id quod te non latet, argutiam habeat epigramma
cum breuitate coniunctam, sit festiuium, et
acclamatiunculis, quae *ἐπιφωνήματα* Graeci vocant,
subinde claudatur. Quas sane dotes omnes
cumulatissime licet in his Moricis *Epigrammatibus* re-
perire, praesertim in his quae ipse genuit: nam in
caeteris, quae e Graecis versa sunt, inventionis laus
priscis tribuitur. Quanquam hic quoque non minus
magni fieri meretur commode reddens ex aliena lingua,
quam scribens: labor certe vertentis saepe maior.
Siquidem qui scribit, liber est, et inventioni libere vacat:
at qui transfert, ad aliud subinde respicere cogitur,
nimirum ad id quod vertendum desumpsit: quod
quoties fit, multo plus sudat ingenium, quam cum suum
aliquid progignit.

Utrobique sane mirus est Thomas Morus: nam
elegantissime componit, et felicissime vertit. Quam
fluunt suaviter huius carmina! Quam est hic nihil
coacturn! Quam sunt omnia facilia! Nihil hic durum,
nihil scabrum, nihil tenebricosum. Candidus est,
argutus, Latinus. Porro gratissima quadam festiuitate sic
omnia temperat, ut nihil unquam viderim lepidius.
Crediderim ego Musas quicquid usquam est iocorum,
leporis, salium, in hunc contulisse. Quam lusit eleganter
ad Sabinum alienos pro suis tollentem liberos! Quam
salse Lalum ridet, qui videri Gallus tam ambitiose
cupiebat! Sunt autem huius sales nequaquam mordaces,
sed candidi, melliti, blandi, et quidvis potius quam
amarulenti. Iocatur enim, sed ubique citra dentem:
ridet, sed citra contumeliam.

Iam inter epigrammatographos Pontanum et Marullum in primis hodie miratur Italia: at dispeream, si non tantundem in hoc est naturae, utilitatis vero plus. Nisi si quis inde magnopere se credit iuvari, dum suam Neeram celebrat Marullus, et in multis ἀνίτεται, Heraclitum quendam agens, aut dum Io. Pontanus veterum nobis epigrammatistarum nequitas refert, quibus nihil sit frigidius, et boni viri lectione magis indignum, ne dicam Christiani. Scilicet usque adeo vetustatem istis aemulari, cordi fuit. Quam ne contaminarent, sic a sacris abstinerunt, ut a Graecis olim Pomponius Laetus, ne Rhomanæ linguae castimoniam violaret, homo superstitiose Rhomanus.

Caeterum quemadmodum hi lusus Mori dunt et insignem eruditionem, sic iudicium nimirum acre, quod de rebus habet, ex *Utopia* cumulatissime eluxerit. De qua paucis obiter meminero, quod hanc accuratissimus in literis Budaeus, incomparabilis ille melioris eruditionis antistes, et ingens, atque adeo unicum Galliarum decus, ita ut decebat, luculenta praefatione laudavit. Habet ea hoc genus decreta, qualia nec apud Platonem, nec apud Aristotelem, aut etiam Iustiniani vestri *Pandectas* sit reperire. Et docet minus forsitan philosophice, quam illi, sed magis Christiane. Quanquam (audi per Musas bellam historiam) cum hic nuper in quodam gravium aliquot virorum consessu, *Utopiae* mentio orta fuisset, et illam ego laudibus veherem, negabat quidam pinguis plus habendum Moro gratiae, quam actuario cuiquam scribae, qui in curia aliorum sententias duntaxat enotet, doriphorematis ritu (quod aiunt) interim assidendo, nihil ipse censens, quod diceret ea omnia ex Hythlodaei ore excepta, et a Moro tantum in literas missa. Proinde Morum nullo laudandum alioqui nomine, nisi quod haec commode retulisset. Et non deerant, qui hominis iudicio velut rectissime sentientis album

adiicerent calculum. ἄρα οὐ σὺ τουτονὶ τοῦ Μόρου χαριεντισμὸν δέχη, τοιούτους ἄνδρας οὐ τοὺς τυχόντας ἀλλὰ τοὺς δοκίμους παρὰ τοῖς πολλοῖς, καὶ ταῦτα θεολόγους πλανήσαντος;

Postremo si hoc quoque scire cupis, Guil. Lilius, Mori sodalis, cum quo vertendis Graecis epigrammatibus iam olim collusit, quae Progymnasmatum titulo sunt inscripta, Britannus est, vir omnifariam doctus, non modo Graecos autores, sed et eius nationis mores uernaculos domestice notos habens, ut qui in insula Rhodo fuerit aliquot annos commoratus. Is nunc ludum literarium, quem Londini Coletus instituit, magna cum laude exercet.

Quod superest, cum tibi per occupationes licebit, quibus in obeundis legationibus administrandaque Republica, laboriosissime distraheris, hoc libelli in manum cape, lege, et Moro, cuius os, ut puto, nondum vidisti, sed ex scriptis iam pridem cognitum habes, fave. Bene Vale clarissime vir.

Basileae .VII. Cal. Martias. Anno M.D. XVIII.

PROGYMNASMATA

THOMAE MORI ET GUILIELMI LILII SODALIIUM

1

ΛΟΥΚΙΛΛΟΥ¹

Μὲν Ἀσκληπιάδης ὁ φιλάργυρος εἶδεν ἐν οἴκῳ,
Καὶ τί ποιεῖς, φησιν, φίλτατε μὴ παρ' ἐμοί;
Ἦδὺ δ' ὁ μὺς γελάσας, μηδὲν φίλε, φησὶ, φοβηθῆς,
Οὐχὶ τροφῆς παρὰ σοὶ χηρῆζομεν, ἀλλὰ μονῆς.

T. MORI. IN AVARUM

Murem Asclepiades ut apud se vidit avarus,
Mus quid in aede facis, dixit, amice mea?
Mus blande arridens, tolle, inquit, amice timorem,
Hic ego non victum quaero, sed hospitium.

G. LILII

Murem Asclepiades in tecto vidit avarus,
Et quid apud me O mus, inquit, amice facis?
Mus ridens, inquit, nihil O verearis amice,
Non abs te victum, sed mihi quaero domum

¹ *Anthologia Palatina* (hereafter cited as AP) 11: 391

2

ΠΑΛΛΑΔΑ²

Πλούτον μὲν πλουτοῦντος ἔχεις, ψυχὴν δὲ πένητος.
Ὡ τοῖς κληρονόμοις πλούσιε, σοὶ δὲ πένης.

G. LILII IN AVARUM

Divitias locupletis habes, animam sed egeni.
Haeredi O dives, sed tibi solus egenus.

T. MORI

Divitias locupletis habes, inopis tibi mens est.
O miser haeredi dives, inopsque tibi.

3

ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ³

Ἀργὸς Ἀχαμενίδου γενόμεν ποτέ, νῦν δὲ Μενίππου,
Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου, βήσομαι εἰς ἕτερον.
Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν με ποτ' ᾔετο. καὶ πάλιν οὗτος
Οἶεται. εἰμὶ δ' ὅλωσ' οὐδενός, ἀλλὰ τύχης.

G. LILII DE POSSESSIONIBUS INCERTIS

Nuper Achaemenidae, sed nunc sumus arva Menippi, Et
nunc hunc rursus, nunc alium petimus.
Ille etenim nuper, nunc et nos alter habere
Se putat: at nobis nil nisi casus inest.

T. MORI

Nuper Achaemenidae fueram, nunc ecce Menippi,
Adque alium rursus deveniam ex alio.
Me proprium nunc iste putat, proprium ille putabat.
Ast ego nullius sum, nisi sortis ager.

4

ἸΑΔΗΛΟΝ⁴

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δόματα πολλ' ἀνεγείρειν,
Ἄτραπος εἰς πενίην ἐστὶν ἐτοιμάτη.

T. MORI DE LUXU IMMODICO

Multas aedificare domos, et pascere multos,
Est ad pauperiem semita recta quidem.

G. LILII

Corpora multa alere, et complures ponere sedes,
Ipsa est ad summam semita pauperiem.

5

ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ⁵

Ὡς τεθνηξόμενος τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
Ὡς δὲ βιωσόμενος, φείδεο σῶν κτεάνων.
Ἔστι δ' ἀνὴρ σοφὸς οὗτος, ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας,
Φειδοῖ, καὶ δαπάνη μέτρον ἐφηρμόσατο.

G. LILII DE MODERATO SUMPTU

Divitiis utare tuis, tanquam moriturus.
Tanquam victurus, parcito divitiis.
Vir sapiens est ille quidem, qui haec ambo volutans Parcit,
quique modum sumptibus applicuit.

T. MORI

Tanquam iam moriturus partis utere rebus,
Tanquam victurus denuo parce tuis.
Ille sapit, qui perpensis hiis rite duobus,
Parcus erit certo munificusque modo.

6

ἸΑΔΗΛΟΝ⁶

Ἐλπίς καὶ σὺ τύχη, μέγα χαίρετε. τὸν λιμέν' εὔρον.
Οὐδὲν ἐμοῖ, χ' ὑμῖν. παίζετε τοὺς μετ' ἐμέ.

T. MORI DE CONTEMPTU FORTUNAE

Iam portum inveni, Spes et Fortuna vaele.
Nil mihi vobiscum est, ludite nunc alios.

G. LILII

Inveni portum, Spes et Fortuna vaele.
Nil mihi vobiscum, ludite nunc alios.

7

ΠΑΛΛΑΔΑ⁷

Γῆς ἐπέβην γυμνός, γυμνός θ' ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι,
Καὶ τί μάτην μοχθῶ, γυμνὸν ὄρων τὸ τέλος;

G. LILII DE MORTE

Ingredior nudus terram, egredior quoque nudus,
Quid frustra studeo, funera nuda videns?

T. MORI

Nudus ut in terram veni, sic nudus abibo.
Quid frustra sudo, funera nuda videns?

8

ἸΑΔΗΛΟΝ⁸

Οἶνος, καὶ τὰ λουτρὰ, καὶ ἡ περὶ Κύπριν ἐρωή,
Ἰσχυτέραν πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς αἴθνην.

T. MORI DE LUXU ET LIBIDINE

Si quis ad infernos properet descendere manes,
Huc iter accelerant, balnea, vina, Venus.

G. LILII

Nos caligantis rapiunt ad tecta tyranni,
Praecipiti cursu, balnea, vina, Venus.

9

ΠΑΛΛΑΔΑ⁹

Οὐχ οὕτω βλάπτει μισεῖν ὁ λέγων ἀναφανδὸν,
Ὡσπερ ὁ τὴν καθαρὰν ψευδόμενος φίλιαν.
Τὸν μὲν γὰρ μισοῦντα προειδότες, ἐκτρεπόμεσθα,
Τὸν δὲ λέγοντα φιλεῖν, οὐ προφυλασσόμεθα.
Ἐχθρὸν ἐγὼ κείνον κρίνω βαρὺν, ὃς ποτε λάθρη
Τὴν ἀπὸ τῆς φιλίας πίστιν ἔχων, ἀδικεῖ.

T. MORI, DE FICTO AMICO

Non aequè nocet hic, qui sese odisse fatetur,
Atque hic qui puram fingit amicitiam.
Osorem monitus fugio: fugisse sed illum
Quomodo qui se me finigit amare, queo?
Pessimus hic certe est inimicus, quisquis amicus
Creditus, occulta subdolos arte nocet.

² AP 11: 294

³ AP 9: 74

⁴ AP 10: 119

⁵ AP 10: 26

⁶ AP 9: 49

⁷ AP 10: 58

⁸ AP 10: 112

⁹ AP 10: 121

G. LILII

Non is tam laedit, liquide qui dixerit, odi,
Quam qui synceram fingit amicitiam.
Vitabis certe quem noveris esse nocentem,
Ast illum nunquam qui tibi dixit, amo.
Ille mihi gravis est hostis, qui clam nocuisse Gaudet,
quique fidem fert in amicitia.

10

ἘΙΣ ΛΑΚΑΙΝΑΝ ἘΔΗΛΟΝ¹⁰

Γυμνὸν ἰδοῦσα Λάκαινα παλίντροπον ἐκ πολέμοιο
Παῖδ' ἔδν εἰς πάτραν ὠκὸν ἰέντα πόδα,
Ἀντίη ἀΐξασα, δι' ἥπατος ἤλασε λόγχην,
Ἄρρενα ρηξάμενη φθόγγον ἐπὶ κταμένῳ,
Ἀλλότριον Σπάρτας εἶπεν γένος, ἔρρε ποθ' ἄδαν,
Ἔρρ' ἐπεὶ ἐψεύσω πατρίδα, καὶ γενέταν.

T. MORI. DE MILITE SPARTANO

In patriam amissis celeri pede dum redit armis,
Conspiciens natum saeva Lacaena suum,
Obvia sublata corpus transverberat hasta,
Haec super occisum mascula verba loquens.
Degener O Spartes genus, ito in Tartara tandem.
Ito degeneras, et patria, et genere.

G. LILII

Quum nudum e bello gnatum remeare Lacaena
Vidit, et in patrios accelerare lares,
Insultans contra, pectus traiecerat hasta.
Horrida in extinctum uoce uirago furens,
Spartanam quando es patriam mentitus, avosque,
Ad manes tandem degener, inquit, abi.

11

ΑΓΑΘΙΟΥ¹¹

Χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν ὡς τὸν πόδα, καὶ γὰρ ἀληθῶς
Εἰκόνα τῶν ἐντὸς σὴ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

T. MORI. IN CLAUDUM ET STUPIDUM

Clauda tibi mens est, ut pes: natura notasque
Exterior certas interioris habet.

G. LILII

Tardus es ingenio, ut pedibus: natura etenim dat
Exterius specimen, quod latet interius.

12

ἘΔΗΛΟΝ¹²

Εἰ μὲν ἦν μαθεῖν ἂν δεῖ παθεῖν,
Καὶ μὴ παθεῖν, καλὸν ἦν τὸ μαθεῖν.
Εἰ δὲ δεῖ παθεῖν ἂν δεῖ μαθεῖν,
Τί δεῖ μαθεῖν; παθεῖν γὰρ χρῆ.

T. MORI THEOPHRASTI APUD

AULUM GELLIUM DILEMMA

Si vitare queas, quae sunt patianda, sciendo,
Scire quidem pulchrum, quae paterere, foret.
Sin quae praescieris vitandi est nulla potestas,
Quid praescire iuvat, quae pati tamen?

G. LILII

Si posset casus quisquam praescire futuros,
Et vitare simul, scire suave foret.
Sin patianda tibi prorsus quae scire requiris,
Quid praescisse iuvat? namque necesse pati.

T. MORI, CARMINE IAMBICO TRIMETRO

Praescire si queas, quae oporteat pati,
Queasque non pati, bonum est ut praescias.
At si te oporteat, licet scias, pati,
Praescire quid iuvat? necesse enim est pati.

13

ΠΑΛΛΑΔΑ¹³

Δις δὴ ἀδελφοὺς ὧδ' ἐπέχει τάφος. ἔν γάρ ἐπέσχον,
Ἦμαρ καὶ γενεῆς οἱ δύο, καὶ θανάτου.

T. MORI, IN DUOS FRATRES, UNO

ET NATOS ET MORTUOS DIE

Quattuor hic tumulus fratres complectitur: ex his
Lux simul una duos et parit, et perimit.

G. LILII

Quattuor hic tumulus fratres habet, una duobus
Lux et natalis, mortis et una fuit.

14

ἈΔΕΣΠΟΤΟΝ¹⁴

Ζεὺς, κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

T. MORI. DE IOVE MUTATO

Taurus, olor, satyrusque ob amorem et Iuppiter aurum
est

Europes, Ledes, Antiopes, Danaes.

¹⁰ AP 9: 61

¹¹ AP 11: 273

¹² The source for this epigram is uncertain.

¹³ AP 7: 323

¹⁴ AP 9: 48

G. LILII

Taurus, olor, satyrus, per amorem Iuppiter aurum
Europae, Ledes, Antiopae, Danaes.

15

ἌΔΗΛΟΝ¹⁵

Ἐννέα τὰς Μούσας φασὶν τινες: ὡς ὀλιγώρως·
Ἦνίδε καὶ Σαπφῶ Λεσβόθεν ἡ δεκάτη.

T. MORI IN SAPPHO

Musas esse novem referunt, sed prorsus aberrant.
Lesbica iam Sappho Pieris est decima.

G. LILII

Quam temere dixere nouem quidam esse sorores.
Musarum, en Sappho Lesbis adest decima.

16

ΑΓΑΘΙΟΥ ΣΧΟΛΑΣΤΙΚΟΥ¹⁶

Ἦ σάτυρος τὸν χαλκὸν ὑπέδραμεν, ἢ διὰ τέχνης
Χαλκὸς ἀναγκασθεὶς, ἀμφεχύθη σατύρῳ.

G. LILII. IN AEREAM SATYRI STATUAM

Aut Satyrus fusus circum aes, aut arte coactum
Illud idem circum fustum erat aes Satyro.

T. MORI

Prorsum admiranda dum circumflectitur arte,
Aut Satyrum hoc tegit aes, aut Satyro aes tegitur

EIUSDEM

Aut isti Satyrus iam circumflectitur aeri,
Aut isto Satyrus iam circumflectitur aere.

17

ἘΙΣ ἌΓΑΛΜΑ ΝΙΟΒΗΣ¹⁷

Ἐκ ζωῆς με θεοὶ τεῦξαν λίθον· ἐκ δὲ λίθοιο
ζωὴν Πραξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο.

G. LILII. IN STATUAM NIOBES

Ex vita saxum Dii me fecere: sed ipse
Ex saxo vitam denuo Praxiteles.

T. MORI

Dii ex viva lapidem fecere: at quum lapis essem,
Me vivam fecit denuo Praxiteles.

18

ΣΙΜΩΝΙΔΟΥ¹⁸

Δῆμος Ἀθηναίων σὲ Νεοπτόλεμ' εἰκόνι τῆδε
Τίμησ' εὐνοίης εὐσεβίης θ' ἔνεκα.

T. MORI, IN STATUAM NEOPTOLEMI.

Cecropis urbs te tota Neoptoleme hac statua ornat.
Ut faciat, faciunt hinc amor, hinc pietas.

G. LILII

Hoc te donarat propter pietatem et amorem,
Signo Cecropidum turba Neoptoleme.

FINIS PROGYMNASMATON THOMAE MORI,
ET GUILIELMI LILII SODALIIUM.

¹⁵ AP 9: 506

¹⁶ AP 16: 246

¹⁷ AP 16: 129

¹⁸ The source for this epigram is uncertain.

EPIGRAMMATA
CLARISSIMI DISERTISSIMIQUE VIRI
THOMAE MORI BRITANNI, PLERAQUE
E GRAECIS VERSA.

Vereor, illustrissime princeps, dum more virginum, quae satis formae suae non fidunt, picturae lenocinio gratiam illepidis versiculis comparare studeo, ne eos qua maxime dote placere potuissent, id est ipsius rei novitate, fraudarim. Nam quum illico in praesentem coronationem tuam conscriptos eos pictori exornandos dedissem, effecit certe podagra, qua protinus quam opus inchoavit, incommodissime tentatus est, ut eos nunc tandem, serius aliquanto quam res postulare videbatur, exhibeam. Itaque (si tecum pro insita humanitate tua liberius agi sinis) haud scio, maioremne gratiam versiculis nostris pictoris manus adiecerint, an pedes ademerint. Quippe quibus effectum est, ut mihi verendum sit, ne non minus sera, ac proinde intempestiva videri tibi possit haec nostra gratulatio, quam olim Tiberio principi visa est, Iliensium illa consolatio, qua eum de morte filii, iamdiu defuncti, consolabantur, quam ille faceta dicacitate delusit, respondens se eorum quoque vicem dolere, quod bonum militem amisissent Hectorem: verum eorum officium, ad luctum non senescentem modo, sed plane praemortuum, non potuit esse non ridiculum: meum vero ab hoc vitio vindicat immensa illa de celebri coronatione tua laetitia: quae quum pectoribus omnium tam efficacem sui vim ac praesentiam impresserit, ut senescere vel integra aetate non possit, effecit nimirum, ut hoc meum officium non sero re peracta atque evanida, sed praesens in rem praesentem pervenisse videatur.

Vale princeps illustrissime, et (qui novus ac rarus regum titulus est) amatissime.

19
IN SUSCEPTI DIADEMATIS DIEM
HENRICI OCTAVI, ILLUSTRISSIMI AC
FAUSTISSIMI BRITANNIARUM REGIS,
AC CATHERINAE REGINAE EIUS FELICISSIMAE,
THOMAE MORI LONDONIENSIS
CARMEN GRATULATORIUM
Si qua dies umquam, si quod fuit Anglia tempus,
Gratia quo superis esset agenda tibi,
Haec est illa dies niveo signanda lapillo,
Laeta dies fastis annumeranda tuis.
Meta haec servitii est, haec libertatis origo,
Tristitiae finis, laetitiaeque caput.
Nam iuvenem saeculi decus O memorabile nostri
Ungit, et in regem praeficit ista tuum:
Regem qui populi non unius usque, sed orbis
Imperio dignus totius unus erat.
Regem qui cunctis lacrimas detergat ocellis,
Gaudia pro longo substituat gemitu.
Omnia discussis arrident pectora curis,
Ut solet excussa nube nitere dies.
Iam populus vultu liber praecurrit amoeno,
Iam vix laetitiam concipit ipse suam.
Gaudet, ovat, gestit, tali sibi rege triumphat,
Nec quicquam nisi rex quolibet ore sonat.
Nobilitas, vulgi iamdudum obnoxia faeci,
Nobilitas, nimium nomen inane diu,
Nunc caput attollit, nunc tali rege triumphat,
Et merito causas unde triumphet, habet.
Mercator variis deterritus ante tributis,
Nunc maris insuetas puppe resulcat aquas.
Leges invalidae prius, immo nocere coactae,
Nunc vires gaudent obtinuisse suas.
Congaudent omnes pariter pariterque rependunt
Omnes venturo damna priora bono.
Iam quas abdiderat caecis timor ante latebris,
Promere quisque suas gaudet et audet opes.

Iam iuvat O, potuit tot furum si qua tot uncas
Tam circumspedas fallere praeda manus.
Non iam divitias ullum est (magnum esse solebat)
Quaesitas nullo crimen habere dolo.
Non metus occultos insibilat aure susurros,
Nemo quod taceat, quodve susurret, habet.
Iam delatores volupe est contemnere, nemo
Deferri, nisi qui detulit ante, timet.
Conveniunt igitur simul aetas, sexus, et ordo,
Causaque non ullum continet ulla domi,
Quominus intersint, dum sacris rite peractis,
Rex init auspiciis regna Britanna bonis.
Quacumque ingreditur, studio conferta videndi
Vix sinit angustam turba patere viam.
Opplenturque domus, et pondere tecta laborant.
Tollitur affectu clamor ubique novo,
Nec semel est vidisse satis, loca plurima mutant,
Si qua rursus eum parte videre queant.
Ter spectare iuvat: quid ni hunc spectare iuaret,
Quo natura nihil finxit amabilius?
Mille inter comites excelsior omnibus extat,
Et dignum Augusto corpore robur habet.
Nec minus ille manu est agilis, quam pectore fortis,
Seu res districto debeat ense geri,
Seu quum protentis avide concurritur hastis,
Seu petat oppositum missa sagitta locum.
Ignea vis oculis, Venus insidet ore, genisque
Est color, in geminis qui solet esse rosis.
Illa quidem facies alacri veneranda vigore
Esse potest tenerae virginis, esse viri.
Talis erat, Nympham quum se simulavit Achilles.
Talis, ubi Aemoniis Hectors traxit equis.
O si animi praestans una cum corpore virtus
Cerni, natura non prohibente, queat.
Immo etiam vultu virtus pellucet ab ipso,
Est facies animi nuntia aperta boni,
Quam matura gravi sedeat prudentia mente,
Quam non solliciti pectoris alta quies,
Quoque modo sortem ferat, et moderetur utramque,
Quanta verecundae cura pudicitiae.

Quam tranquilla fovet placidum clementia pectus,
Quam procul ex illo fastus abest animo,
Principis egregius nostri (quas fingere non est)
Prae se fert certas vultus et ipse notas.
At qua iustitia est, regnandi quas habet artes,
Prosequitur populum qua pietate suum,
Haec facile ex vultu fiunt illustria nostro,
Haec sunt ex nostris conspicienda bonis.
Quod sic afficimur, quod libertate potimur,
Quodque abiere timor, damna, pericla, dolor,
Quod rediere simul, pax, commoda, gaudia, risus,
Eximii virtus principis inde patet.
Enervare bonas immensa licentia mentes
Idque etiam in magnis assolet ingeniis.
At quamvis erat ante pius, mores tamen illi
Imperium dignos attulit imperio.
Nam bona quae pauci sera fecere senecta,
Protinus in primo praestitit ille die.
Illico correptos inclusit carcere, quisquis
Consilio regnum laeserat ante malo.
Qui delator erat, vinculis constringitur arctis,
Ut mala quae multis fecerat, ipse ferat.
Ad mercaturas aperit mare: si quod ab illis
Durius exactum est ante, remisit onus.
Despectusque diu magnatum nobilis ordo,
Obtinuit primo pristina iura die.
Ille magistratus et munera publica, vendi
Quae suevere malis, donat habenda bonis.
Et versis rerum vicibus feliciter, ante
Quae tulit indoctus praemia, doctus habet.
Legibus antiquam (nam versae evertere regnum
Debuerant) subito vimque decusque dedit.
Omnis cumque prius prorsus descisceret ordo,
Protinus est omnis redditus ordo sibi.
Quid quod in his etiam voluit rescindere quaedam,
Ut populo possit commodus esse suo,
Quae tamen ante suo novit placuisse parenti?
Sic patriam, ut decuit, praetulit ille patri.
Nec miror: quid enim non principe fiat ab illo,
Cui cultum ingenuis artibus ingenium est,
Castalio quem fonte novem lavere sorores,
Imbuit et monitis Philosophia suis?
Nominibus populus multis obnoxius omnis
Regi erat: hoc unum pertimuitque malum.

At rex, hinc metui quum posset, posset et inde
Congerere immensas, si voluisset, opes,
Omnibus ignovit: securos reddidit omnes,
Sollicitique malum substulit omne metus.
Ergo alios populi reges timere, sed istum,
Per quem nunc nihil est quod timeatur, amant.
Hostibus O princeps multum metuende superbis.
O populo princeps non metuende tuo.
Illi te metuunt: nos te veneramus, amamus.
Illis, noster erit, cur metuaris, amor.
Sic te securum, demptoque satellite tutum,
Undique praestabunt, hinc amor, inde timor.
Extera bella quidem, coeat si Gallia Scotis,
Sit tantum concors Anglia, nemo timet.
At procul intestina aberunt certamina: nam quae
Semina, quas causas unde oriantur, habent?
Primum equidem de iure tuae tituloque coronae
Quaestio iam non est ulla, nec esse potest.
Quae certare solet iam tu pars utraque solus,
Nobilis hanc litem soluit uterque parens.
Ast magis abs te etiam est populi procul ira, tumultus
Impia civilis quae solet esse caput.
Civibus ipse tuis tam carus es omnibus unus,
Ut nemo possit carior esse sibi.
Quod si forte duces committeret ira potentes,
Solvetur nutu protinus illa tuo.
Tanta tibi est maiestatis reverentia sacrae,
Virtutes merito quam peperere tuae.
Quae tibi sunt, fuerant patrum quaecumque tuorum.
Saecula prisca quibus nil habuere prius.
Est tibi namque tui princeps prudentia patris.
Estque tibi matris dextra benigna tuae.
Est tibi mens aviae, mens religiosa paternae.
Est tibi materni nobile pectus avi.
Quid mirum ergo, novo si gaudeat Anglia more,
Cum qualis numquam rexerat ante, regat?
Quid quod laetitia haec, quae visa est non potuisse
Crescere, coniugio crevit adaucta tuo?
Coniugio, superi quod decrevere benigni,
Quo tibi, quoque tuis consulere bene.
Illa tibi coniunx, laetus communia tecum
Quam vidit populus sceptrata tenere tuus,
Cuius habent tantam caelestia numina curam,

Ut thalamis ornet, nobilitentque tuis.
Illa est, quae priscas vincat pietate Sabinas,
Maiestate sacras vicerit hemitheas.
Illa vel Alcestes castos aequarit amores,
Vel prompto superet consilio Tanaquil.
Illo ore, hoc vultu, forma est spectabilis illa,
Quae talem ac tantam sola decere potest.
Eloquio facunda cui Cornelia cedat,
Inque maritali Penelopeia fide.
Illa tibi princeps multos devota per annos,
Sola tui longa mansit amore mora.
Non illam germana soror, nec patria flexit,
Non potuit mater, non revocare pater.
Unum te matri, te praetulit illa sorori.
Te patriae, et caro praetulit illa patri.
Illa tibi felix populos, hinc inde potentes
Non dissoluenda iunxit amicitia.
Regibus orta quidem magnis, nihiloque minorum est
Regum, quam quibus est orta, futura parens.
Hactenus una tui navem tenet ancora regni,
Una, sat illa quidem firma, sed una tamen.
At regina tibi sexu foecunda virili
Undique firmatam perpetuamque dabit.
Proveniunt illi magna ex te commoda, rursus
Ex illa veniunt commoda magna tibi.
Non alia ulla fuit certe te digna marito.
Illa non alius coniuge dignus erat.
Anglia thura feras, sacrumque potentius omni
Thure, bonas mentes innocuasque manus,
Connubium ut superi hoc, sicut fecere, secudent,
Ut data caelesti sceptrata regantur ope,
Utque ipsis gestata diu haec diademata, tandem
Et natus nati gestet, et inde nepos.

20

EIUSDEM, IN SUBITUM IMBREM, QUI IN
POMPA REGIS AC REGINAE LARGE
OBORTUS, NEC SOLEM ABSTULIT,
NEC DURAVIT

Dum peterent sacras rex et regina coronas,
Pompa qua numquam pulchrior ulla fuit,
Aureus explicuit late se Phoebus, eratque
Laeta dies populi consona pectoribus.

Ast ubi iam mediam celebris pervenit in urbem,
Tota statim aethereis pompa rigatur aquis.
Nulla tamen Phoebi subduxit lumina nubes,
Et minima nimbus perstetit ille mora.
Res bene contra aestus cecidit, rem sive quis ipsam
Spectet, sive omen, non potuit melius.
Principibus nostris uberrima tempora spondent,
Et Phoebus radiis, et Iovis uxor aquis.

21

EIUSDEM AD REGEM

Cuncta Plato cecinit tempus quae proferat ullum
Saepe fuisse olim, saepe aliquando fore.
Ver fugit ut celeri, celerique revertitur anno,
Bruma pari ut spatio quae fuit ante, redit,
Sic inquit rapidi post longa volumina caeli
Cuncta per innumeras sunt reditura vices.
Aurea prima sata est aetas, argentea post hanc.
Aerea post illam, ferrea nuper erat.
Aurea te princeps redierunt principe saecula.
O possit vates hactenus esse Plato.

22

EIUSDEM AD REGEM DE SPECTACULIS
EQUESTRIBUS PER EUM EDITIS,
EPODON IAMBICUM

Quaecumque reges ediderunt hactenus
Equestrium spectacula,
Lugubris illa semper aliqua reddidit
Vel calamitas insignia,
Vel casus aliquis prospero parum Iove
Admixtus inter ludicra,
Aut tabido transverberati militis
Madens harena sanguine,
Aut lanceis icta unguisive sonipedum
Obtrita plebs ferocium,
Turbamve comprimens simul miserrimam
Lapsae ruina machinae.
Verum tua haec spectacula O rex omnium
Quae vidimus pulcherrima,
Non ulla clades, sed tua digna indole
Insignit innocentia.

23

EIUSDEM DE UTRAQUE ROSA IN
UNUM COALITA

Purpureae vicina fuit rosa candida, utranque
Utraque dum certant, sit prior ultra, premit.
Utraque sed florem rosa iam coalescit in unum,
Quoque potest uno lis cadit illa modo.
Nunc rosa consurgit, nunc pullulat una, sed omnes
Una habet haec dotes, quas habuere duae.
Scilicet huic uni species, decor, atque venustas,
Et color, et virtus, est utriusque rosae.
Alterutram ergo rosam vel solam quisquis amavit,
Hanc in qua nunc est, quicquid amavit amet.
At qui tam ferus est, ut non amet, ille timebit.
Nempe etiam spinas flos habet iste suas.

24

IN RHETOREM INDOCTUM,
E GRAECO¹⁹

Quinque Soloecismis donavi Rhetora Flaccum,
Quinque statim decies reddidit ille mihi.
Nunc numero hos, inquit, paucos contentus habeto.
Mensura accipies quando redibo Cypro.

25

IN SUSPICIONEM, E GRAECO²⁰

Magnam habet in rebus vim ac pondus, opinio. Non vis
Laedere: velle tamen si videare, peris.
Sic et Philoleon quondam occidere Crotone
Quem falso credunt velle tyrannum agere.

26

IN RHETOREM INFANTEM
SCITE PICTUM,
E GRAECO²¹

Ipse tacet Sextus, Sexti meditatur imago.
Ipsa est rhetor imago, ab imagine rhetor imago est.

¹⁹ Ἐπὶ σολοικισμοὺς Φλάκκῳ τῷ ῥήτορι δῶρον / πέμψας, ἀντέλαβον πεντάκι διακοσίους. / καὶ νῦν μὲν φησιν τούτους ἀριθμῶ σοι ἔπεμψα. / τοῦ λοιποῦ δὲ μέτρον, πρὸς Κύπρον ἐρχόμενος. (AP 11: 146)

²⁰ Τὴν ὑπόνοιαν πᾶσι μάλιστα λέγω θεραπεύειν. / εἰ γὰρ καὶ μὴ δρᾶς, ἀλλὰ δοκεῖς, ἀτυχεῖς. / οὕτω καὶ Φιλόλαον ἀνεῖλε Κρότων ποτὲ πάτρην. / ὡς μιν ἔδοξε θέλειν δῶμα τύραννον ἔχειν. (AP 7: 126)

²¹ Εἰκὼν ἢ Σέξτου μελετᾷ, Σέξτος δὲ σιωπᾷ. / ῥήτωρ ἦν εἰκὼν· ὁ δὲ ῥήτωρ, εἰκὼν εἰκὼν. (AP 11: 145)

27

IN CAECUM ET CLAUDUM MENDICOS²²
Claudipedem gestat caecis vicinus ocellis,
Conducitque oculos arte, locatque pedes.

28

ALITER
Caecus claudipedem gestat, prudenter uterque
Rem gerit, atque oculos hic locat, ille pedes.

29

ALITER
Caecus fert claudum, atque opera conducit eadem,
Istius ille oculos, illius iste pedes.

30

ALITER
Claudum caecus onus grave, sed tamen utile vectat.
Prospicit atque oculis huic regit ille pedes.

31

IDEM FUSIUS²³
Tristis erat nimium miseris fortuna duobus,
Huic oculos, illi dempsit iniqua pedes.
Sors illos copulat similis, claudum vehit alter.
Sic sua communi damna levant opera.
Hic pedibus quovis alienis ambulat, itur
Huic recta alterius semita luminibus.

32

IDEM ALITER
Utilius nihil esse potest, quam fidus amicus,
Qui tua damna suo leniat officio.
Foedera contraxere simul mendicus uterque
Cum claudo solidae caecus amicitiae.
Claudo caecus ait, collo gestabere nostro.
Retulit hic, oculis caecae regere meis.
Alta superborum fugitat penetralia regum,
Inque casa concors paupere regnat amor.

33

ALITER
Cum claudo caecus sic lege paciscitur aequa, ut
Hic ferat illum humeris, hunc regat ille oculis.

34

PINUS NAUTICA LOQUITUR
VENTO SUBVERSA,
E GRAECO²⁴
Pinus ego ventis facile superabilis arbor,
Stulte, quid undivagam me facis ergo ratem?
An non augurium metuis? quum persequitur me
In terra, Boream qui fugiam in pelago?

35

IDEM ALITER²⁵
Ventis pinus humo sternor, quid mittor in undas?
Iam nunc passa prius quam nato naufragium.

36

IN NAVIM EXUSTAM²⁶
Iam ratis aequoreas oneraria fugerat undas.
Matris at in terrae deperiit sinibus.
Corripitur flammis, atque ardens auxiliaries
Quas maris hostiles fugerat, optat aquas.

37

CUNICULA LOQUITUR QUAE ELAPSA
MUSTELAE INCIDIT IN DISPOSITA
VENATORUM RETIA
Mustelam obliquo dilapsa foramine fugi.
Sed feror humanos heu misera in laqueos.
Hic ego non vitam celerem, non impetro mortem.
Servor ut heu rapidis obiciar canibus.
Qui mea dum laniant scelerato viscera morsu,
Spectat, et effuso sanguine ridet homo.
O durum genus, atque fera truculentius omni,
Nex cui crudelem praebet acerba iocum.

²² Ἀνέρα τις λιπόγυιον ὑπὲρ νότιοιο λιπαυγῆς / ἦγε, πόδας χρήσας,
ὄμματα χρησάμενος. (AP 9: 13a)

²³ Πηρὸς ὁ μὲν, γυίοις, ὁ δ' ἄρ' ὄμμασιν· ἀμφοτέροι δὲ, / εἰς αὐτοὺς τὸ
τύχης ἐνδεὲς ἠράνισαν. / τυφλὸς γὰρ λιπόγυιον ἐπωμάδιον βάρους
αἴρων, / ταῖς κείνου φωναῖς ἀτραπὸν ὄρθοβάτει. / πάντα δὲ ταῦτ'
ἐδίδαξε πικρὴ πάντολμος ἀνάγκη, / ἀλλήλοισ μερίσαι τοῦλλιπὲς εἰς
ἔλεον. (AP 9: 11)

²⁴ Τίπτε με τὴν ἀνέμοισιν ἀλώσιμον ἠλεὲ τέκτων, / τήνδε πίτυν τεύχεις
νῆα θαλασσοπόρον; / οὐδ' οἰωνὸν ἔδεισας, ὅτι βορέης μ' ἐδίωξεν / ἐν
χθονί; πῶς ἀνέμους φεύξομαι ἐν πελάγει; (AP 9: 376)

²⁵ Ἐκλάσθην ἐπὶ γῆς ἀνέμῳ πίτυς, ἐς τί με πόντω / στέλλετε ναυηγὸν
κλῶνα πρὸ ναυτιλῆς; (AP 9: 30)

²⁶ Ὀλκὰς ὕδωρ προφυγοῦσα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης, / ἐν χθονὸς
ἀγκοίναις ὄλετο μητερίαις, / ἰσταμένην γὰρ πυρσὸς ἐπέφλεγε·
καιμένη δὲ, / δυσμενέων ὑδάτων συμμαχίην ἐκάλει. (AP 9: 398)

38

INNOCENTIAM OBNOXIAM ESSE INIURIAE,
E GRAECO²⁷

Ausus erit mordere malum vel mus, vetus hoc est
Verbum, sed longe res habet ipsa secus.
Innocuos audet vel mus mordere, nocentem
Tangere non audet territus ipse draco.

39

IN EFFLATUM VENTRIS, E GRAECO²⁸

Te crepitus perdit, nimium si ventre retentes.
Te prope remissus servat item crepitus.
Si crepitus servare potest et perdere, numquid
Terrificis crepitus regibus aequa potest?

40

DE MORTIS AEQUALITATE,
E GRAECO²⁹

Victor ad Herculeas penetres, licet usque columnas,
Te terrae cum aliis pars manet aequa tamen.
Iro par moriere, obolo non ditior uno,
Et tua te (sed non iam tua) solvet humus.

41

IN SORDIDUM, E GRAECO³⁰

Te ditum appellat omnes, ego plane inopem te.
Nam facit usus opes, testis Apollophanes.
Si tu utare tuis, tua fiunt. Sin tua serves,
Haeredi, tua iam nunc aliena facis.

42

VENATUS ARANEA

Insidiata vagam comprehendit aranea muscam,
Et lentis trepidam cassibus implicuit.
Iamque hiat in morsum, sed saepe os inter et offam,
Ut verbum vetus est, multa venire solent.
Sors muscae miseretur, et adversatur Arachnae,
Inque malam e misera transtulit exitium.
En stimulantem fame properans invadit utranque,
Sturne, ruunt casses, haec fugit, illa perit.
Sic misero spes est plerumque secure sub ipsa,
Inter et armatos mille malo metus est.

²⁷ Φασί παροιμιακῶς κᾶν μῦς δάκοι ἄνδρα πονηρόν. / ἀλλὰ τόδ' οὐχ οὕτω φημί προσήκει λέγειν, / ἀλλὰ δάκοι κᾶν μῦς ἀγαθοῦς, καὶ ἀπράγμονας ἄνδρας. / τὸν δὲ κακὸν δεδιώς, δῆξεται οὐδὲ δράκων. (AP 9: 379)

²⁸ Πορδὴ ἀποκτείνει πολλοὺς ἀδιέξοδος οὔσα. / πορδὴ καὶ σώζει τραυλὸν ἰεῖσα μέλος. / οὐκοῦν εἰ σώζει, καὶ ἀποκτείνει πάλι πορδὴ, / τοῖς βασιλεῦσιν ἴσην πορδὴ ἔχει δύναμιν. (AP 11: 395)

²⁹ Κᾶν μέχρις Ἡρακλέους στηλῶν ἔλθῃς παρορίζων, / γῆς μέρος ἀνθρώποις πᾶσιν ἴσον σε μένει. / κείσῃ δ' Ἴρω ὁμοίως, ἔχων ὀβολοῦ πλέον οὐδὲν, / εἰς τὴν οὐκ ἔτι σὴν γῆν ἀναλυόμενος. (AP 11: 209)

³⁰ Πλουτεῖν φασί σε πάντες, ἐγὼ δὲ σέ φημι πένεσθαι. / χρηστὴς γὰρ πλοῦτου, μάρτυς Ἀπολλόφρανης. / ἂν μετέχῃς αὐτῶν σὺ, σὰ γίνεταί, ἂν δὲ φυλάτῃς / κληρονόμοις, ἀπὸ νῦν γίνεταί ἀλλότρια. (AP 11: 166)

43

IN CYNICUM STULTE ABSTINENTEM,
E GRAECO³¹

Barbati Cynici, baculoque vagantis egeni,
In cena magnam conspicimus sophiam
Scilicet hic raphanis Cynicus primum atque lupino,
Ne virtus ventri serviat, abstinuit.
At niveum postquam bulbum conspexit ocellis
Iam rigidum et sapiens excutit ingenium
Flagitat atque avide spem praeter devorat omnem.
Virtuti bulbus, nil ait officiet.

44

EPITAPHIUM MEDICI, E GRAECO³²

Thessalus Hippocrates, Cous genere, hac iacet urna
Phoebi immortalis semine progenitus.
Crebra trophaea tulit morborum armis medicinae,
Laudis cui magna, nec id sorte, sed arte fuit.

45

IN SERVUM MORTUUM, E GRAECO³³

Hic servus dum vixit, erat, nunc mortuus idem
Non quam tu Dari magne minora potest.

46

IN ANCILLAM MORTUAM³⁴

Ante fuit solo Sosime corpore serva,
Nunc fato pars est haec quoque missa manu.

47

IN PISCATOREM ADAMATUM,
E GRAECO³⁵

Pisces dum captat piscator, divitis illum
Nata videt, visum flagrat amore viri.
Deinde viro nubit, sic illi ex paupere vita,
Magna superbarum copia venit opum.
Muneris hoc nostri est Venus inquit. Verba retorquens
Fortuna haec nostri est muneris, inquit era.

³¹ Τοῦ παγωνοφόρου κυνικοῦ τοῦ βακτροπροσαίτου, / εἶδομεν ἐν δειπνῷ τὴν μεγάλην σοφίην. / θέρμιον μὲν γὰρ πρῶτον ἀπέσχετο, καὶ ραφανίδων, / μὴ δεῖν δουλεῖν γαστρὶ λέγων ἀρετὴν. / εὐτε δ' ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἴδεν χιονώδεα βολβὸν / στρυφνήν, πινυτὸν ἦδη ἔκλεπτε νόον, / ἤτησεν παρὰ προσδοκίαν, καὶ ἔτραγεν ἀληθῶς, / κούδὲν ἔφη βολβὸν τὴν ἀρετὴν ἀδικεῖν. (AP 11: 410)

³² Θεσσαλὸς Ἴπποκράτης, Κῶος γένος, ἐνθάδε κεῖται, / Φοῖβου ἀπὸ ρίζης ἀθανάτου γεγαώς, / πλεῖστα τρόπαια νόσων στήσας ὀπλοῦς ὑγιείης, / δόξαν ἔλων πολλὴν οὐ τύχη ἀλλὰ τέχνη. (AP 7: 135)

³³ Μάνης οὗτος ἀνὴρ ἦν ζῶν ποτέ. νῦν δὲ τεθνηκώς, / ἴσον Δαρείῳ τῷ μεγάλῳ δύναται. (AP 7: 538)

³⁴ Ζωσίμη, ἡ πρὶν εὐσα μόνῳ τῷ σώματι δούλη, / καὶ τῷ σώματι νῦν εὖρεν ἐλευθερίην. (AP 7: 553)

³⁵ Γριπεύς τις μογέεσκεν ἐπ' ἰκθύσι- τόνδ' ἐσιδοῦσα / εὐκτέανος κούρη, θυμὸν ἔκαμνε πόθῳ. / καὶ μιν θῆκε σύννευον. ὁ δ' ἐκ βιότιοι πενήχρῳ / δέξατο παντοίης ὄγκον ἀγνηροῦς. / ἡ δὲ Τύχη γελώσα, παρίστατο. καὶ ποτὶ Κύπριν / οὐ τεὸς οὗτος ἀγὼν, ἀλλ' ἐμὸς ἐστὶν ἔφη. (AP 9: 442)

48

IN REPENTE FELICEM E MISERO,
E GRAECO³⁶
Non tibi quod faveat, sic te fortuna levavit.
Vel de te liqueat vult, sibi quid liceat.

49

IN MEDIOCRITATEM,
E GRAECO³⁷
Invidia est peior miseratio, Pindarus inquit.
Felici invidiam splendida vita facit.
At nimium miseris miseramur. Dent superi ut sim,
Nec nimium felix, nec miserandus ego.
Scilicet extremis longe mediocria praestant.
Infima calcantur, summa repente ruunt.

50

NIHIL PRODESSE TORQUERI
METU MALI VENTURI,
E GRAECO³⁸
Cur patimur stulti, namque haec vecordia nostra,
Urat ut indomitus pectora nostra metus?
Seu mala non venient, iam nos metus urit inanis.
Sin venient, aliud fit metus ipse malum.

51

MONOSTICHUM E GRAECO IN LAUDEM
POEMATIS HOMERICI³⁹
Ipse quidem cecini, scripsit divinus Homerus.

52

IN RIDICULUM IUDICIUM,
E GRAECO⁴⁰
Lis agitur, surdusque reus, surdus fuit actor.
Ipse tamen iudex surdus utroque magis.
Pro aedibus hic petit aes, quinto iam mense peracto.
Ille refert, tota nocte mihi acta mola est.
Aspicit hos iudex, et quid contenditis, inquit.
An non utrique est mater? utrique alite.

53

AD LUCERNAM NOCTURNAM⁴¹
Lychne, reversuram ter te iuravit amica.
Nec redit, O poenas det tibi, si deus es.
Ludenti cum nocte places exstinguere, et aufer
Tam sacra tam sacris lumina luminibus.

54

LAIS ANUS AD SPECULUM,
E GRAECO⁴²
Nequiter arrisi tibi, quae modo, Graecia, amantum
Turbam in vestibulis Laïs habens iuvenum,
Hoc Veneri speculum dico, nam me cernere talem
Qualis sum nolo, qualis eram nequeo.

55

IN MORTIS DIEM OMNIBUS INCERTUM⁴³
Non ego quos rapuit mors, defleo. Defleo vivos,
Quos urunt longo fata futura metu.

56

ALIUD
Fleres, si scires unum tua tempora mensem.
Rides, quum non sit forsitan una dies.

57

IN APUM INDUSTRIAM,
E GRAECO⁴⁴
Mellis apes fluvios ipsae sibi in aethere fingunt.
Ipsae quos habitant aedificant thalamos.
Grata apis humanae frugesque facillima vitae est.
Non bovis aut curvae falcis egebit ope.
Tantum opus hic situla est, ubi dulcia pocula mellis
Ubertim parvo fundat ab alveolo.
Congaudete sacrae, varios et pascite flores,
Aetherei volucres nectaris artifices.

58

IN ANUM FUCIS FRUSTRA UTENTEM⁴⁵
Saepe caput tinguis, numquam tinctura senectam,
Aut tensura genis quae tibi ruga tuis.
Desine iam faciem stibio perfundere totam,

³⁶ Οὐκ ἐθέλουσα Τύχη σε προήγαγεν, ἀλλ' ἵνα δείξῃ / ὡς ὅτι καὶ μέχρι σοῦ πάντα ποιεῖν δύναται. (AP 9: 530)

³⁷ Ὁ φθόνος οἰκτιρμοῦ κατὰ Πίνδαρον ἐστὶν ἀμείνων. / οἱ βασκαίνόμενοι, λαμπρὸν ἔχουσι βίον. / τοὺς δὲ λίαν ἀτυχεῖς, οἰκτείρομεν. ἀλλὰ τις εἶην / μήτ' ἄγαν εὐδαίμων, μήτ' ἔλεεινὸς ἐγὼ. / ἢ μεσότης γὰρ ἄριστον. ἐπεὶ τὰ μὲν ἄκρα πέφυκε / κινδύνους ἐπάγειν, ἔσχατα δ' ὕβριν ἔχει. (AP 10: 51)

³⁸ The source for this epigram is uncertain.

³⁹ Ἡεῖδον μὲν ἐγὼν, ἐχάρασσε δὲ θεῖος Ὅμηρος. (AP 9: 455)

⁴⁰ Δυσκόωφὸς δὺσκόωφος ἐκρίνετο. καὶ πολὺ μᾶλλον / ἦν ὁ κριτὴς τοῦτων τῶν δύο κοωφότερος. / ὧν ὁ μὲν, ἀντέλεγεν τὸ ἐνοίκιον αὐτὸν ὀφείλειν / μὴ γινῶν πένθ'. ὁ δ' ἔφη νυκτὸς ἀληλεκένας. / ἐμβλέψας δ' αὐτοῖς ὁ κριτὴς, λέγει, εἰς τί μάχεσθε; / μήτηρ ἔσθ' ὑμῖν; ἀμφοτέροι τρέφετε. (AP 11: 251)

⁴¹ Λύχνη, σὲ γὰρ παρεοῦσα τρεῖς ὄμοσεν Ἡράκλεια / ἤξειν· κοῦχ ἦκει· λύχνη, σὺ δ' εἰ θεὸς εἶ, / τὴν δολίην ἐπάμυνον. ὅταν φίλον ἐνδόν ἔχουσα / παιζῇ, ἀποσβεσθεῖς, μηκέτι φῶς πάρεχε. (AP 5: 7)

⁴² Ἡ σοβαρὸν γελάσασα καθ' Ἑλλάδος, ἢ τῶν ἐρώντων / ἐσμὸν ἐνὶ προθύροις Λαΐς ἔχουσα νέων, / τῇ Παφῇ τὸ κάτοπρον· ἐπεὶ τοίη μὲν ὀράσθαι / οὐκ ἐθέλω· οἷη δ' ἦν πάρος, οὐ δύναμαι. (AP VI. 1)

⁴³ Τοὺς καταλείψαντας γλυκερὸν φάος οὐκ ἐπιθνήνῳ, / τοὺς δ' ἐπιπροδοκίῃ ζῶντας αἰεὶ θανάτου. (AP 9: 282)

⁴⁴ Ἄ καλὸν αὐτοπόνητον ἐν αἰθέρι ρέδμα μελισσῶν, / αἱ πλαστὰι χερῶν αὐτοπαγεῖς θαλάμια, / προίκιος ἀνθρώπων βιότῳ χάρις, οὐχὶ μακέλλας, / οὐ βροῦς, οὐ γαμμῶν δευομένα δρεπάνων, / γαυλοῦ δὲ σμικροῖο, τόθι γλυκὸ νῆμα μέλισσα / πηγάζει σκήνευς δαψιλῆς ἐξ ὀλίγου, / χαιροισθ' εὐαγέες, καὶ ἐν ἄνθεσι ποιμαίνισθε / αἰθερίου πτηναὶ νέκταρος ἐργατίδες. (AP 9: 404)

⁴⁵ Τὴν κεφαλὴν βάπτεις, τὸ δὲ γῆρας οὐποτε βάνεις, / οὐδὲ παρεϊάων ρυτίδας ἐκτανοῦσεις, / μὴ τοῖνυν τὸ πρόσωπον ἅπαν νημιθῶ κατάπλαττε, / ὥστε προσωπεῖον, κοῦχὶ πρόσωπον ἔχειν. οὐδὲν γὰρ πλέον ἐστὶ· τί μίναίνα; οὐποτε φύκος, / καὶ νημιθῶς, τεύξει τὴν Ἐκάβην Ἑλένην. (AP 11: 408)

Ne persona tibi haec sit modo, non facies.
Quum nihil assequeris fuco stibioque, quid amens
Vis tibi? numquam Hecubem haec facient, Helenen.

59

IN HOMINIS NATIVITATEM,
E GRAECO⁴⁶

Heus homo si memor es, quid te dum gigneret, egit
Tum pater, ex animo iam tumor ille cadet,
At Plato te fastu dum somniat inflat inani,
Aeternumque vocat semen et aethereum.
Factus es ecce luto, quid suspicis alta? sed istud
Plasmate qui te ornat nobiliore feret.
Quin si vera voles, audire, libidine foeda
Natus es e coitu, guttula et e misera.

60

DE ASTROLOGO RIDICULO

Non Cumaea sacro vates correpta furore,
Certius afflata mente futura videt,
Quam meus astrologus divina clarus in arte
Praevideat inspecto sidere praeterita.

61

ALIUD IN ASTROLOGUM UXORIS
IMPUDICAE MARITUM

Astra tibi aethereo pandunt sese omnia vati,
Omnibus et quae sint fata futura, monent.
Omnibus ast uxor quod se tua publicat, id te
Astra, licet videant omnia, nulla monent.

62

IN EUNDEM, IAMBICUM

O care nobis siderum caelestium
Inspector astris, ipse nunc Phoebus tibi
Optem libenter indicare clanculum
Quiddam, quod ad te pertinet quam maxime,
Dum cuncta lustris, deprehendi pridie
Quam tu redires nuper ex Aula domum.
Sed territat Venus, minatur et mihi
Secundum amorem, qui nihilo secundior
Mihi sit futurus, quam fuit Daphnes prior,
Quicquam cuivis garrulus si deferam
De se marito, quale detuli prius.

Nescibis ergo hoc, ceteras rerum vices
Docebo te. Nuptae sed in rebus tuae
Si quid tua non cedat ex sententia,
Hoc omnibus prius patebit, quam tibi.

63

ALIUD IN EUNDEM

Quid inter alta stulte quaeris sidera
In humo manentis coniugis mores tuae?
Quid alta spectas? infra id est cui tu times.
Dum iam tu, agat quid illa, quaeris in polo,
Haec quae libebat, interim egit in solo.

64

ALIUD IN ASTROLOGUM EUNDEM

Sidera vestigas inter caelestia demens,
Cur dubia semper mente quid uxor agat?
Si nescis qualis tibi sit, crede esse pudicam,
Quod tibi persuades si bene, iam bene habes.
Quid cognoscere vis, quae non nisi cognita laedunt?
Quid fieri studio vis miser ipse tuo?
Hic furor haud dubie est, quum iam desistere possis,
Quaerere sollicito quod reperire times.

65

ALIUD IN ASTROLOGUM

Saturnus procul est, iamque olim caecus, ut aiunt,
Nec prope discernens a puero lapidem.
Luna verecundis formosa incedit ocellis,
Nec nisi virgineum virgo videre potest.
Iuppiter Europen, Martem Venus, et Venerem Mars,
Daphnen Sol, Hyrcen Mercurius recolit.
Hinc factum astrologe est, tua quum capit uxor amantes,
Sidera significant ut nihil inde tibi.

66

DE FORMA DILEMMA,
IAMBIS TRIMETRIS SCAZONTIBUS

Quid forma confert, Hercules nihil cerno.
Si ferveas, deformis ecce formosa est.

⁴⁶ Ἄν μνήμης ἀνθρώπου λάβῃς ὁ πατήρ σε τί ποιῶν / ἐσπειρεν, παύση
τῆς μεγαλοφροσύνης. / ἀλλ' ὁ Πλάτων σοι τύφον ὄνειρώσσω
ἐνέφρυσεν. / ἀθάνατόν σε λέγων, καί φυτὸν οὐράνιον. / ἐκ πληοῦ
λέγονας. τί φρονεῖς μέγα; τοῦτο μὲν οὕτως / εἶπ' ἄν τις κοσμῶν
πλάσματι σεμινοτέρῳ. / εἰ δὲ λόγον ζητεῖς τὸν ἀληθινόν, ἐξ ἀκολάστου
/ λαγνείας γέγονας, καὶ μιᾶς βανίδος. (AP 10: 45)

Sin frigeas, formosa iam sit informis.
Quid forma confert, Hercules nihil cerno.

67

DE ASTROLOGO DE QUO SUPRA

Saepe suam inspectis uxorem Candidus astris,
Praedicat en vates omnibus esse bonam.

68

PARAENESIS AD VIRTUTEM VERAM

Heu miseris quicquid misero blanditur in orbe,
Illico marcescens, ut rosa verna cadit.
Nec quemquam usque adeo placidis complectitur ulnis
Sors, ut non aliqua parte molesta premat.
Imbibe virtutes, et inania gaudia sperne.
Sunt animi conlites gaudia vera boni.

69

AD CONTEMPTUM HUIUS VITAE⁴⁷

Nos velut instabiles ventus quatit omnis aristas,
Quolibet impellunt spes, dolor, ira, metus.
Nil habet in rebus pondus mortalibus ullum.
Momento pudor est, si moveare levi.

70

MORTEM NON ESSE METUENDAM
QUUM SIT FINIS MALORUM,
E GRAECO⁴⁸

Non stultum est mortem matrem timuisse quietis?
Quam fugiunt morbi, maestaque pauperies?
Sola semel miseris sese mortalibus offert,
Nec quisquam est ad quem mors iterum rediit.
At reliqui morbi varii, multique vicissim
Nunc hunc, nunc illum, terque quaterque premunt.

71

IN EPISCOPUM QUENDAM SORDIDUM
AC PERPARCUM

Vita Sibyllinos mea si duraret in annos,
Non bonitas umquam praesulis excideret.
Iugera multa soli locat, amplas possidet urbes,

Centum stipatus progreditur famulis.
Me tamen exigui census, quum nuper adirem,
Excipit, et vere comiter alloquitur.
Quin abiens nigri gustarem ut pocula vini,
E loculo clavem liberat ipse suo.

72

DE VICISSITUDINE FORTUNAE,
E GRAECO

Lubrica non servat certum fortuna tenorem,
Sed rotat instabilem caeca subinde rotam.
Sternere summa libet, libet infima tollere, rerum
Inque vicem nulla vertere lege vices.
Maxima quum bona sunt, iam sunt mala proxima, rursus
Maxima quum mala sunt, proxima iam bona sunt.
Forti animo mala fer, nec bis miser esto dolore,
Ne cito venturis praemoriare bonis.

73

VITA BREVIS⁴⁹

Non tibi vivacem furor est spondere senectam?
Quum non sit vitae certa vel hora tuae.
Finge age Nestoreum sis perventurus in aevum,
Longa tument multis tempora feta malis.
Omnia ut effugias viridis quibus angitur aetas,
Taedia longa tibi curva senecta feret.
Tu tamen ad seros (nulli quod contigit) annos
Ut venias, nullo percitus ante malo,
Hoc tamen exiguum est. Ubi nunc tot Nestoris anni?
Ex tanto superest tempore nulla dies.

74

PATIENTIA

Tristia qui pateris perfer, Sors tristia solvet.
Quod si non faciat Sors, tibi mors faciet.

75

VITA IPSA CURSUS AD MORTEM EST

Nugamur, mortemque procul, procul esse putamus.
At mediis latet haec abdita visceribus.
Scilicet ex illa, qua primum nascimur hora,
Prorepunt iuncto vitaque morsque pede.
Partem aliquam furtim qua se metitur, et ipsam
Surripit e vita quaelibet hora tua.

⁴⁷ Μήτε βαθυκτεάνοιο τύχης κουφίζεο ροίζω, / μήτε σέο γνάμψη φροντίς ελευθερίην. / πᾶς γάρ ὑπ' ἀσταθέεσι βίος πολεμίζεται αὔραις, / τῆ, καὶ τῆ θαμινῶς ἀντιμεθελκόμενος. / ἢ δ' ἀρετῆ, σταθερόν τι, καὶ ἄτροπον· ἧς ἐπι μούνης, / κύματα θαρσαλέως ποντοπόροι βιότου. (AP 10: 74)

⁴⁸ Τὸν θάνατον τί φοβεῖσθε, τὸν ἡσυχίης γενετῆρα; / τὸν παύοντα νόσους, καὶ πενίης ὁδύνας; / μόνος ἀπαξ θνητοῖς παραγίγνεται. οὐδέ ποτ' αὐτὸν / εἶδεν τις θνητῶν δεύτερον ἐρχόμενον. / αἱ δὲ νόσοι, πολλαὶ, καὶ ποικίλαι, ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον / ἐρχόμεναι θνητῶν, καὶ μεταβαλλόμεναι. (AP 10: 69)

⁴⁹ Ἀνθρώποις ὀλίγος μὲν ὁ πᾶς χρόνος, ὃν ποτε δειλοὶ / ζῶμεν· κτῆν πολὺν γῆρας ἄπασι μένη, / τῆς δ' ἀκμῆς καὶ μάλλον. ὅτ' οὖν χρόνος ὄριος ἡμῖν, / πάντα χύδην ἔστω, ψαλμὸς, ἔρω, προπόσεις. / χειμῶν τούντεϋθεν γήρωσ βάρως, οὐδὲ δέκα μῶν / στήσεις. τοιαύτη σ' ἐκδέχεται ὄρχιπέδη. (AP 10: 100)

Paulatim morimur, momento exstinguimur uno,
Sic oleo lampas deficiente perit.
Ut nihil interimat, tamen ipso in tempore mors est.
Quin nunc, interea dum loquimur, morimur.

76

DIVES AVARUS PAUPER EST SIBI,
E GRAECO⁵⁰
Divitias animi solas ego iudico veras,
Qui rebus pluris se facit ipse suis.
Hunc adeo ditem, hunc opulentum rite vocamus,
Magnarum quis sit qui videt usus opum.
Calculus at si quem misere numerandus adurit,
Qui misere semper divitias cumulet,
Hic ut apes parvo crebroque foramine fosso,
Sudat in alveolo, mella alii comedunt.

77

DILEMMA EPICURI
Deiciat miseram tibi nulla molestia mentem.
Si longa est, levis est; si gravis est, brevis est.

78

CONTRA
Deiicit heu miseram, prosternit et utraque mentem.
Longa nec ulla levis, nec gravis ulla brevis.

79

DE MORTE
Somniat, hic ditem qui se putat esse, videtque
Morte experrectus illico quam sit inops.

80

SOLA MORS TYRANNICIDA EST
Duriter es quicumque viris oppressus iniquis,
Spem cape, spes luctus leniat alma tuos.
Versilis in melius vel te Fortuna reponet,
Ut solet excussa nube nitere dies.
Aut libertatis vindex frendente tyranno,
Eruet iniecta mors miserata manu.
Auferet haec (quo plus tibi gratificetur) et illum,
Afferet atque tuos protinus ante pedes.
Ille opibus tantis, fastuque elatus inani,
Ille ferox crebris ante satellitibus,

Hic neque torvus erit, vultu nec ut ante superbo,
Sed miser abiectus, solus, inermis, inops.
O quid vita tibi dedit umquam tale? vicissim
Iam ridendus erit, qui metuendus erat.

81

CARMEN VERSUM
E CANTIONE ANGLICA
O Cor triste malis misere immersumque profundis
Rumpere: sit poenae terminus iste tuae.
Sanguinolenta tuae dominae tua vulnera pande,
Illa brevi est, quae nos dividet una duos.
Quam miser ergo diu sic heu lacrimabo, querarque:
Mors ades, et tantis horrida solve malis.

82

IN AMICAM FOEDIFRAGAM IOCOSUM,
VERSUM E CANTIONE ANGLICA
Dii melius, venere mihi hac quae somnia nocte!
Tota semel mundi machina versa ruit.
Nec sua lux Phoebos constabat, nec sua Phoebae
Iamque tumens omnem straverat aequor humum.
Maius adhuc mirum, vox en mihi dicere visa est,
Heus tua iam pactam fregit amica fidem.

83

DE CUNICULO BIS CAPTO
E rete extrahor, e digitis in rete relabor.
Heu semel heu fugi, bis miser ut caperer.

84

IN VIRGINEM MORIBUS
HAUD VIRGINEIS
Blanda, salax, petulans, audax, vaga, garrula virgo,
Si virgo est, virgo est bis quoque quae peperit.

85

IN UXORES⁵¹
Hoc quisque dicit, rebus in mortalibus
Quod tristius sit, ac magis viros gravet,
Natura nil produxit his uxoris.
Hoc quisque dicit, dicit, at ducit tamen.
Quin sex sepultis, septimam ducit tamen.

⁵⁰ Πλούτος ὁ τῆς ψυχῆς, πλούτος ὁ μόνος ἐστὶν ἀληθής. / τᾶλλα δ' ἔχει αὐτὴν πλείονα τῶν κτεάνων. / τόνδε πολυκτέανον, καὶ πλούσιόν ἐστι δίκαιον / κληῖζειν, ὅς χρῆσθαι τοῖς ἀγαθοῖς δύνатаι. / εἰ δέ τις ἐν ψήφοις κατατήκεται, ἄλλον ἐπ' ἄλλω / σωρεύειν αἰεὶ πλοῦτον ἐπειγόμενος, / οὗτος ὁποῖα μέλισσα πολυτρήτοις ἐνὶ σύμβλοις / μοχθήσει, ἐτέρων δρενομένων τὸ μέλι. (AP 10: 41)

⁵¹ Οὐκ ἐστι γήμας, ὅστις οὐ χειμάζεται. / λέγουσι πάντες, καὶ γαμοῦσιν εἰδότες. (AP 10: 116)

86

IN EASDEM

Res uxor gravis est, poterit tamen utilis esse,
Si propere moriens det sua cuncta tibi.

87

IN IMAGINEM DISSIMILEM,
E GRAECO⁵²

Haec tua quam nuper pinxit Diodorus imago,
Cuiusvis magis est, quam tua Menodote.

88

IN EANDEM

Sic se totum istac expressit imagine pictor,
Ut nulli tam sit, quam tibi dissimilis.

89

CHORIAMBICUM DE VITA SUAVI,
E GRAECO⁵³

Non est cura mihi Gygis,
Qui rex Sardibus imperat.
Aurum non ego persequor,
Reges non miser aemulor.
Curae est, barba suavibus
Unguentis mihi perfluat.
Curae est, ut redolentibus
Cingam tempora floribus.
Curae sunt hodierna mi,
Nam quis Crastina noverit?
Tornato bene Mulciber
Argento mihi poculum
Iam nunc effice concavum,
Et quantum potes imbibum.
Et fac illud ut ambient
Non currus, neque sidera,
Orion neque flebilis.
Vites fac virides mihi,
Botri fac mihi rideant
Pulchro cum Dionysio.

90

IN MEDICUM IMPOSTOREM, QUI
GUTTULAM FICTI BALSAMI
MAGNO VENDIDIT

Febre laboranti medicus, feret O tibi certe
Aut nihil, aut tantum balsamus, inquit, opem.
Sed nemo me praeter habet, per paululum et ipse.
Gutta emitur libris non minus una decem.
Nunc mihi quinque dabis, reliquas mihi quinque daturus
Sanus, ut has numquam te moriente, petam.
Numquam rem facies, tanto in discrimine qui vis
Tam carae guttae ponere dimidium.
Pacta placent, minimoque e vitro et sindone tecto,

Iacta petit gladii cuspage gutta merum.
Abluat ut vino mucronem, aeger rogat: absit,
Inquit, adhuc libras bis gerit ille decem.
Gutta, ait, una sat est, et erat satis: unica tantum
Gutta potest: unam vix bibit, et moritur.
O nimis adverso contractum sidere pactum.
Hinc guttae, hinc vitae dimidium perit.

91

IN FUCATAM,
E GRAECO⁵⁴

Tinguis capillos foemina: at qui scis, rogas?
Nigri fuere quum referres e foro.

92

IN IMAGINEM MALE REDDITAM
Effigie studuit tua in hac ostendere pictor,
Expressisse queat quam tibi dissimilem.

93

IN IMAGINEM BENE REDDITAM
Hac tua tam vere facies expressa tabella,
Ut iam non tabula haec sit tibi, sed speculum.

94

IN EANDEM

Quam mihi monstrasti demiror Posthume pictor,
Effigiem quanta finxerat arte tuam.
Inspicit hanc quisquis, si te conspexerit umquam,
Si non artificis tangitur invidia,
Tam simile hic ovo non esse fatebitur ovum,
Effigies haec est quam tibi dissimilis.

95

IN ANGLUM GALLICAE LINGUAE
AFFECTATOREM

Amicus et sodalis est Lalus mihi,
Britanniaeque natus, altusque insula.
At cum Britannos Galliae cultoribus
Oceanus ingens, lingua, mores dirimant,
Spernit tamen Lalus Britannica omnia.
Miratur, expetitque cuncta Gallica.
Toga superbit ambulans in Gallica,
Amatque multum Gallicas lacernulas.
Zona, locello, atque ense gaudet Gallico

⁵² Εικόνα Μηνοδότου γράψας Διόδωρος, ἔθηκε. / πλὴν τοῦ Μηνοδότου πᾶσιν ὁμοιοτάτην. (AP 11: 213)

⁵³ Οὐ μοι μέλει Γύγαι / τοῦ Σαρδίων ἄνακτος, / οὐθ' αἰρέει με χρυσοῦς, / οὐδὲ φθονῶ τυράννοισ, / ἐμοὶ μέλει μύροισι / καταβρέχειν ὑπήνην, / ἐμοὶ μέλει ῥόδοισι / καταστέφειν κάρηνα. / τὸ σήμερον μέλει μοι, / τὸ δ' αὔριον τίς οἶδε. / τὸν ἀργυρον τορευσας / Ἦφαιστὲ μοι ποιήσον, / ποτήριον δὲ κοῖλον / ὅσον δύνη, βάθνον. / ποιεὶ δὲ μοι κατ' αὐτοῦ, / μὴ δ' ἄστρα, μὴ δ' ἀμάξας, / μὴ στυγνὸν Ἰβρίωνα, / ἀλλ' ἀμπελῶνος χλωσάσας, / καὶ βότρυας γελῶντας / σὺν τῷ καλῷ Λυαίῳ. (AP 11: 47-8)

⁵⁴ Τὰς τρίχας ὧ Νίκυλλα, τινὲς βάπτειν σε λέγουσιν, / ἅς σὺ μελαινοτάτας ἐξ ἀγορᾶς ἐπρίω. (AP 11: 68)

Filtro, bireto, pileoque Gallico,
Et calceis, et subligare Gallico,
Totoque denique apparatu Gallico.
Nam et unum habet ministrum, eumque Gallicum,
Sed quem (licet velit) nec ipsa Gallia
Tractare quiret plus (opinor) Gallice,
Stipendii nihil dat, atque id Gallice.
Vestitque tritis pannulis, et Gallice hoc.
Alit cibo parvo, et malo, idque Gallice.
Labore multo exercet, atque hoc Gallice.
Pugnisque crebro pulsatur, idque Gallice.
In coetu et in via, et foro, et frequentia
Rixatur, obiurgatque semper Gallice.
Quid? Gallice illud? immo semigallice.
Sermonem enim (ni fallor) ille Gallicum
Tam callet omnem, quam Latinum Psittacus.
Crescit tamen, sibique nimirum placet,
Verbis tribus, si quid loquatur Gallicis.
Aut Gallicis si quid nequit vocabulis,
Conatur id, verbis licet non Gallicis,
Canore saltem personare Gallico,
Palato hiante acutulo quodam sono,
Et feminae instar garrientis molliter,
Sed ore pleno, tamquam id impleant fabae,
Balbutiens videlicet suaviter
Pressis quibusdam literis, Galli quibus
Ineptientes abstinent, nihil secus,
Quam vulpe gallus, rupibusque navita.
Sic ergo linguam ille et Latinam Gallice,
Et Gallice linguam sonat Britannicam.
Et Gallice linguam refert Lombardicam.
Et Gallice linguam refert Hispanicam.
Et Gallice linguam sonat Germanicam.
Et Gallice omnem, praeter unam Gallicam.
Nam Gallicam solam sonat Britannice.
At quisquis insula satus Britannica,
Sic patriam insolens fastidiet suam,
Ut more simiae labore fingere,
Et aemulari Gallicas ineptias,
Ex amne Gallo ego hunc opinor ebrium.
Ergo ex Britanno ut Gallus esse nititur,
Sic dii iubete, fiat ex gallo capus.

96

IN NICOLAUM MALUM MEDICUM

Nunc video haud rerum tantum, sed et ipsa virorum
Nomina, non temere, sed ratione dari.
Nicoleus nomen medici est: qui convenit? inquis,
Hoc potius nomen debuit esse ducis:

Dux populos armis vincit: sed et iste venenis
Et populum, et fortes sternit ubique duces.
Saepe ducem bello repetunt, bis nemo rebellat
Huic medico: vero est nomine Nicoleus.

97

IN IMAGINEM ELEGANTEM,
SED DEFORMISSIMI

Ipsam iudice me Venerem superabat Apellis,
Haec tua quae visa est nuper imago mihi.
Pictor in hanc omnes unam consumpserat artes,
Spectari hac una quid valuit, voluit.
Qualis in ore decor, qui nasus, qualia labra,
O quales oculi, qualis ubique color.
Tam fuit ex omni longe pulcherrima parte,
Quam fuit a nulla parte tibi similis.

98

IN IMAGINEM DISSIMILEM

Nuper ut ingredior pictoris forte tabernam,
Effigies oculis est tua visa meis.
Ex te dum pictor sic exprimat omnia, vultum
Immotum credo te tenuisse diu.
Sic te totum inspecta refert: intellego quia est
Protinus ut pictor rettulit esse tuam

99

IN PARCUM MORIENTEM⁵⁵

Chrysalus heu moritur dives, dolet, ingemit, umquam
Nemo magis tristi pectore fata tulit.
Non quoniam ipse perit, cui nil se vilius ipso est,
Sed nummi pereunt quattuor in tumultum.

100

IN GRAMMATICUM PUTIDUM⁵⁶

Quum mihi grammaticus mentem subit Heliodorus,
Nostra Soloecismos illico lingua timet.

101

IN PROGNOSTEN RIDICULUM

Hoc anno in regno rex nobilis ille quiescet
Gallorum, ceber scripserat astrologus.

⁵⁵ Δακρύει Φεΐδων ὁ φιλάργυρος οὐχ ὅτι θνήσκει, / ἀλλ' ὅτι πέντε μῶν τὴν σορὸν ἐπρίατο. / ταῦτ' αὐτῷ χάρισασθε. καὶ ὡς τόπος ἐστὶν ἐν αὐτῇ, / τῶν πολλῶν τεκνίων ἐν τι προσεμβάλετε. (AP 11: 170)

⁵⁶ Ἄν τοῦ γραμματικοῦ μνησθῶ μόνον Ἡλιοδώρου, / εὐθὺς σολοικίζον τὸ στόμα μου δέδετα. (AP 11: 138)

Rex vix incepto vita defungitur anno,
Iam nil se vates quo tueatur, habet.
Rem quidam risu coepit defendere, verum est
Augurium, rex iam nonne quievit? ait.
Latius hoc verbum proreperit, et undique ridens
Id populus, rex iam nonne quievit? ait.
Audit ut in populo hoc vates, iam serio verum est
Augurium, rex iam nonne quievit? ait.

102

IN VEHEMENTER NASUTUM,
E GRAECO⁵⁷
Numquam Procle manu nares emungere possis.
Nam tua nare manus, magna licet, minor est.
Quando Iovem inclamas sternutans? quippe nec audis
Tam procul ab nasus prominet aure tuus.

103

IN POETAM FURIOSUM,
E GRAECO⁵⁸
Sunt etiam in Musis furiae, quibus ipse poeta
Fis, per quas temere carmina multa facis.
Ergo age plurima scribe precor, tibi nempe furorem
Non ego maiorem quem precer invenio.

104

IN PERPUSILLUM,
E GRAECO⁵⁹
Grus ne te rapiat Pygmaeo sanguine gaudens,
Si sapias, media tutus in urbe mane.

105

NEGLEGENDI VULGI RUMORES,
E GRAECO⁶⁰
Tu teipsum oblectes, et vulgi verba loquacis
Sperne: bene hic de te dicit, et ille male.

106

IN FATUUM, E GRAECO⁶¹
Quem mordent pulices exstinguit Morio lychnon.
Non me, inquit, cernent amplius hi pulices.

107

DE SOMNO, E GRAECO,
SENTENTIA ARISTOTELIS
Ferme dimidium vitae, dormitur: in illo
Aequales spatio dives, inopsque iacent.
Ergo Croese tibi regum ditissime, vitae
Ferme dimidio par erat Irus egens.

108

ALIUD
Non es, dum in somno es, dum nec te vivere sentis,
Felix, at somnus ni veniat, miser es.
Qui felix igitur sorte indulgente superbit,
Inflatusque levi prosperitate tumet,
Nox quoties venit, aut toties iam desinit esse
Felix, aut toties incipit esse miser.

109

QUID INTER TYRANNUM ET PRINCIPEM
Legitimus immanissimis
Rex hoc tyrannis interest.
Servos tyrannus quos regit,
Rex liberos putat suos.

110

SOLLICITAM ESSE TYRANNI VITAM
Magna diem magnis exhaurit cura tyrannis,
Nocte venit requies, si tamen ulla venit.
Nec tamen hi pluma requiescunt mollius ulla
In dura pauper quam requiescit humo.
Ergo tyranne tibi haec pars felicissima vitae est,
In qua mendico par tamen esse velis.

⁵⁷ Οὐ δύναται τῇ χειρὶ Πρόκλος τὴν ῥῖν' ἀπομύσσειν, / τῆς ῥινὸς γὰρ ἔχει τὴν χέρα μικροτέραν. / οὐδὲ λέγει Ζεῦ σῶσον ἐὰν παρῆ. οὐ γὰρ ἀκούει / τῆς ῥινός, πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει. (AP XI. 268)

⁵⁸ Εἰσὶ καὶ ἐν Μούσῃσιν Ἐριννύες, αἱ σε ποιοῦσι / ποιητὴν, ἀνθ' ὧν πολλὰ γράφεις ἀκρίτως, / τοίνυν σου δεομαι γράφε πλείονα. μείζονα γὰρ σοι / εὐξασθαι ταύτης οὐ δύναμαι μανίην. (AP XI. 127)

⁵⁹ Ἀσφαλέως οἴκησον ἐν ἄστεϊ, μὴ σε κολάσῃ / αἵματι πυγμαίων ἠδομένη γέρανος. (AP XI. 369)

⁶⁰ Τὴν σαυτοῦ φρένα τέρπε. δυσηλεγέων δὲ πολιτῶν / ἄλλος τις σε κακῶς, ἄλλος ἄμεινον ἐρεῖ. (AP IX. 50)

⁶¹ Ἔσβεσε τὸν λύχνον μῶρος, ψυλλῶν ὑπὸ πολλῶν / δακνόμενος, λέξας οὐκ ἔτι με βλέπετε. (AP 11: 432)

111

BONUM PRINCIPEM ESSE PATREM
NON DOMINUM, IAMBICUM
Princeps pius numquam carebit liberis.
Totius est regni pater.
Princeps abundat ergo felicissimus,
Tot liberis, quot civibus.

112

DE BONO REGE ET POPULO
Totum est unus homo regnum, idque cohaeret amore.
Rex caput est, populus cetera membra facit.
Rex quot habet ciues (dolet ergo perdere quemquam)
Tot numerat partes corporis ipse sui.
Exponit populus sese pro rege putatque
Quilibet hunc proprii corporis esse caput.

113

BONA NON COGNOSCI NISI
DUM AMITTUNTUR
Perdendo bona nostra fere cognoscimus omnes.
Dum possidemus, spernimus.
Sic populo quoque saepe malus, sed sero benignum
Commendat heres principem.

114

TYRANNUM IN SOMNO NIHIL
DIFFERRE A PLEBEIO
Erigit ergo tuas insane superbia cristas,
Quod flexo curvat se tibi turba genu,
Quod populus nudo surgat tibi vertice, quod sit
Multorum in manibus vitaeque, morsque tuis.
At somnus quoties artus astringit inertes,
Haec tua iam toties gloria dic ubi sit?
Tunc ignave iaces trunco non impar inani,
Aut paulo functis ante cadaveribus.
Quod nisi conclusus timide intra tecta lateres,
In cuiusque foret iam tua vita manu.

115

DE PRINCIPE BONO ET MALO
Quid bonus est princeps? Canis est custos gregis inde
Qui fugat ore lupos. Quid malus? ipse lupo.

116

IN RAPTOREM ET PATRONUM
Raptam se queritur virgo, crimenque negari
Non potuit. Raptor iam periturus erat.
Callidus at subito patronus protrahit ipse
Membrum deducta veste virile rei,
Hocce virgo tua membrum fuit, inquit, in alvo?
Illa verecundo mota pudore negat.
Vicinus O iudex, clamat patronus. Ea ipsa est.
Id negat en sine quo se negat ipsa rapti.

117

IN FUREM ET PATRONUM
Dum furti metuit damnari Clepticus, amplo
Non sine consuluit munere caudicium.
Hic ubi saepe diuque immensa volumina volvit,
Spero, ait, effugies Cleptice, si fugias.

118

IN ASTROLOGUM QUI FACTUM PRAEDIXIT,
E GRAECO⁶²
Saepe patri frater quod debuit esse superstes,
Hoc velut uno omnes astrologi ore canunt.
Ast Hermoclidus obiturum prae patre solus
Dixit, sed dixit postquam obiisse videt.

119

IN HUIUS VITAE VANITATEM
Damnati ac morituri in terrae claudimur omnes
Carcere, in hoc mortem carcere nemo fugit.
Carceris in multas describitur area partes,
Inque aliis alii partibus aedificant.
Non aliter quam de regno de carcere certant.
In caeco cupidus carcere condit opes,
Carcere obambulat hic vagus, hic vincitur in antro.
Hic servit, regit hic, hic canit, ille gemit.
Iam quoque dum carcer non tamquam carcer amatur,
Hinc aliis alii mortibus extrahimur.

⁶² Τῷ πατρί μου τὸν ἀδελφὸν οἱ ἀστρολόγοι μακρόγηρων / πάντες ἐμαντεύσανθ' ὡς ἀφ' ἐνὸς στόματος. / ἄλλ' Ἑρμοκλείδης, αὐτὸν μόνος εἶπε πρόμοιρον. / εἶπε δ' ὅτ' αὐτὸν ἔσω νεκρὸν ἐκοπτόμεθα. (AP 11: 159)

120

REGEM NON SATELLITUM SED
VIRTUS REDDIT TUTUM

Non timor inuisus, non alta palatia regem,
Non compilata plebe tuentur opes,
Non rigidus vili mercabilis aere satelles
Qui sic alterius fiet ut huius erat.
Tutus erit, populum qui sic regit, utiliozem
Ut populus nullum censeat esse sibi.

121

POPULUS CONSENTIENS REGNUM
DAT ET AUFERT

Quicumque multis vir viris unus praest,
Hoc debet his quibus praest.
Praesse debet nequitiam diutius
Hi quam volent quibus praest.
Quid impotentes principes superbiunt?
Quod imperant precario?

122

IN PERPUSILLUM,
E GRAECO⁶³

Ex atomis Epicurus totum fabricat orbem,
Alchime, dum nihil his credidit esse minus.
Ex te fecisset, si tum Diophante fuisses,
Nempe atomis multo es tu Diophante minor.
Aut forte ex atomis iam cetera scriberet esse,
Ast ipsas ex te scriberet esse atomos.

123

IN AMOREM CASTUM ET INCESTUM,
E GRAECO⁶⁴

Hi duo destruxere duos incestus, et almus,
Dum contra occurrunt, hinc amor, inde pudor.
Phaedram amor Hippolyti consumpserat igneus, ipsum
Interimitque sacer pro pudor Hippolytum.

⁶³ Ἐξ ἀτόμων Ἐπίκουρος ὅλον τὸν κόσμον ἔγραψεν. / εἶναι τοῦτο δοκῶν Ἄλκιμε λεπτότατον. / εἰ δὲ τότε ἦν Διόφαντος, ἔγραψεν ἂν ἐκ Διοφάντου, / τοῦ καὶ τῶν ἀτόμων πούλυ τι λεπτοτέρου. / ἢ τὰ μὲν ἄλλ' ἔγραψε συνεστάναι ἐξ ἀτόμων ἂν, / ἐκ τούτου δ' αὐτὰς Ἄλκιμε τὰς ἀτόμους. (AP 11: 103)

⁶⁴ Σωφοροσύνη, καὶ ἔρωσ, κατ' ἐναντίον ἀλλήλοισιν / ἐλθόντες, ψυχὰς ὄλεσαν ἀμφοτέρω. / Φαίδρην μὲν κτείνειν πυρόεις πόθος Ἰππολύτοιο, / Ἰππολύτον δ' ἀγνή πέφνε σωφοροσύνη. (AP 9: 132)

124

IN URBEM ROMAM,
E GRAECO⁶⁵

Gradivi genus Hector ave, si quid sub humo audis,
Respira, et patriae nomine cresce tuae.
Ilios urbs colitur, nunc incluta gens colit illam,
Quam tu Marte minor, Martis amica tamen.
Myrmidones periere, ades et dic Hector Achilli,
Esse sub Aeneadis undique Thessaliam.

125

DE MEDIOCRITATE,
E GRAECO⁶⁶

Ingratum est quicquid nimium est: sic semper amarum est,
Ut verbum vetus est, mel quoque si nimium est.

126

IN VEHEMENTER INFELICEM,
E GRAECO⁶⁷

Numquam vixisti O pauper numquam morieris.
Nempe miser visus vivere mortuus es.
At quibus immensa est fortuna, pecunia multa,
His vitae finem mors aliquando facit.

127

IN PYTHAGORAE ECHEMYTHIAM,
E GRAECO⁶⁸

Rebus in humanis magna est doctrina tacere,
Testis erit sapiens hic mihi Pythagoras.
Nempe loqui doctus, reliquos docet ille tacere,
Magnum hoc ad requiem pharmacon inveniens.

128

RIDICULUM IN GELLIAM

Quid modo saeculorum miremur monstra priorum,
Quod loquitur taurus, quod cadit imbre lapis?
Monstra antiqua novum superat: surrexerat ecce
Ante tenebrosam Gellia vesper heri.
Plus dicturus eram, nisi me ridere putares,
Surrexit mediam, sed tamen ante diem.

⁶⁵ Ἐκτορ, ἀρήϊον αἶμα, κατὰ χθονὸς εἶ που ἀκούεις, / χαῖρε, καὶ ἄμπνευσον βαιὸν ὑπὲρ πατρίδος. / Ἴλιον οἰκεῖται, κλεινὴ πόλις, ἄνδρας ἔχουσα / σοῦ μὲν ἀφανροτέρους, ἄλλ' ἔτ' ἀρηϊφίλους. / Μυρμιδόνες δ' ἀπόλοντο. παρίστασο, καὶ λέγ' Ἀχιλλεῖ, / θεσσαλίην κεῖσθαι παισὶν ὑπ' Ἀινεάδαις. (AP 9: 387)

⁶⁶ Πᾶν τὸ περιττὸν, ἄκαιρον, ἐπεὶ λόγος ἐστὶ παλαιός, / ὡς καὶ τοῦ μέλιτος τὸ πλεόν ἐστὶ χολή. (AP 16: 16)

⁶⁷ Μηδέποτε ζήσας ὁ πένης βροτός, οὐδ' ἀποθνήσκει. / καὶ ζῆν γὰρ δοκέων, ὡς νέκυς ἦν ὁ τάλας. / οἱ δὲ τύχας μεγάλας, καὶ χρήματα πολλὰ λαχόντες, / οὔτοι τὸν θάνατον πῶσιν ἔχουσι βίου. (AP 10: 63)

⁶⁸ Ἡ μεγάλη παιδευσὶς ἐν ἀνθρώποισι, συμπῆ. / μάρτυρα Πυθαγόραν τὸν σοφὸν αὐτὸν ἔχω. / ὅς λαλέειν εἰδώς, ἐτέρους ἐδίδασκε συμπᾶν, / φάρμακον ἡσυχίης ἐγκρατὲς εὐράμενος. (AP 10: 46)

Mira licet saepe illa tamen videre priores,
Saepe potest fors cernere posteritas,
Istud at hesternam nemo umquam viderat ante,
Et post hanc poterit nemo videre diem.

129

IN PALLADEM VENEREMQUE,
E GRAECO⁶⁹

Cur ita me laedis Venerem Tritonia virgo,
Corripis in digitos cur mea dona tuos?
Scilicet Idaeis memor esto in rupibus olim
Me non te pulchram censuit esse Paris.
Hasta tua est, ensisque tuus, mihi vendico malum.
Mars modo sit malo pristinus ille satis.

130

VITAM HOMINIS ESSE NIHIL⁷⁰

Nos tenuem strictis spirantes aera fibris,
Vivimus et Phoebi lampada conspiciamus.
Quotquot vivimus hic sumus omnes organa, sed quae
Vivificis animat flatibus aura levis.
Quod tua si tenuem restringat palma vaporem
Eripiens animam miseris usque Stygem.
Sic sumus ergo nihil, Plutoni pascimur omnes,
E flatu minimo nos levis aura fovet.

131

IN PUGIONEM EBETEM EBETIS,
E GRAECO⁷¹

Plumbeus hic mucro tuus est obtusus, ebesque,
Mucro aciem ingenii fert tuus iste tui.

132

DE GLORIA ET POPULI IUDICIO

Maxima pars hominum fama sibi plaudit inani,
Atque levis vento fertur in astra levi.
Quid populi tibi voce places? saepe optima caecus
Dat vicio, et temere deteriora probat.
Sollicitus pendes alieno semper ab ore,

Ne laudem cerdo quam dedit, eripiat.
Fors tamen irridet quo tu laudante superbis.
Ex animo laudet, laus tamen illa fugit.
Quid tibi fama facit? toto lauderis ab orbe,
Articulus doleat, quid tibi fama facit?

133

RIDICULUM IN MINISTRUM

Muscas e cratere tulit conviva priusquam
Ipse bibit, reddit rursus, ut ipse bibit.
Addidit et causam, muscas ego non amo, dixit,
Sed tamen e vobis nescio num quis amet.

134

DE CANE VENANTE

Os canis implet anas, alium capturus hiabat,
Non capit: at quam iam ceperat ore fugit.
Sic miser interea dum rem captas alienam,
Saepius et merito perdis avare tuam.

135

CANIS IN PRAESEPE.

AVARUS HOMO

In praesepe canis faeno nec vescitur ipse,
Nec sinit ut faenum qui cupit indat equus.
Servat avarus opes, opibus non utitur ipse,
Atque alios uti qui cupiunt, prohibet.

136

IN ORESTEM PARANTEM OCCIDERE MATREM, E
GRAECO⁷²

Qua gladium intrudes per ventremne, anne papillas?
Te peperit venter, te lactavere papillae.

137

QUOD PAUCIS ORANDUS DEUS⁷³

Da bona sive rogere deus, seu nulla rogere,
Et mala sive rogere nega, seu nulla rogere.

⁶⁹ Παρθένε Τριτογένεια, τί τὴν Κύπριν ἄρτι με λυπεῖς; / ἀρπάξασα δ' ἔμῳ δῶρον, ἔχεις παλάμη; / μέμνησαι τὸ πάροιθεν ἐν Ἰδαίῳ σκοπέλοισιν, / ὡς Πάρις οὐ σέ καλὴν, ἀλλ' ἔμ' ἔδογμάτισε; / σὸν δῶρον, καὶ σάκος ἐστίν. ἔμῳ δὲ τὸ μῆλον ὑπάρχει. ἀρκεῖ τῷ μῆλῳ κείνος ὁ πρὶν πόλεμος. (AP 9: 576)

⁷⁰ Ἡέρα λεπταλέον μυκτηρόθεν ἀμπνεῖοντες, / ζῶομεν, ἡελίου λαμπάδα δερκόμενοι, / πάντες, ὅσοι ζῶομεν κατὰ τὸν βίον. ὄργανα δ' ἐσμέν, / αὐραῖς ζωογόνοις πνεύματα δεχνύμενοι. / εἰ δὲ τις οὖν ὀλίγη παλάμη σφίγγειεν αὐτμήν, / ψυχὴν συλήσας, εἰς αἴδην κατάγει. / οὗτος οὐδὲν ἐόντες, ἀγνοροῖ τρεφόμεσθα, / πνοιῆς ἐξ ὀλίγης ἡέρα βοσκόμενοι. (AP 10: 75)

⁷¹ No source identified; this phrase should probably have been printed with Epigram 130 instead.

⁷² Πῆ ξίφος ἰθύνεις; κατὰ γαστέρος, ἢ κατὰ μαζῶν; / γαστήρ, ἢ σ' ἐλόχευσεν· ἀνεθρέψοντα δὲ μαζοί. (AP 9: 126)

⁷³ Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλά καὶ εὐχομένους, καὶ ἀνεύκτους / ἄμμυ δίδου. τὰ δὲ λυγρὰ, καὶ εὐχομένων ἀπερύκτους. (AP 10: 108)

138

IN DIGAMOS,
E GRAECO⁷⁴

Qui capit uxorem defuncta uxore secundam,
Naufragus in tumido bis natat ille freto.

139

DE SOMNO AEQUANTE PAUPEREM
CUM DIVITE

Somne quies vitae, spes et solamen egenis,
Divitibus noctu, quos facis esse pares,
Tristia demulces lethaeo pectora rore,
Excutis et sensum totius inde mali.
Laeta benignus opes inopi per somnia mittis.
Quid falsas rides dives opes inopis?
Divitibus verae curas, tormenta, dolores,
Pauperibus falsae gaudia vera ferunt.

140

IN DEFORMEM ET IMPROBUM,
E GRAECO⁷⁵

Pingere difficile est animum, depingere corpus,
Hoc facile est. In te sunt tamen ambo secus.
Nam pravos animi mores natura revelans,
Fecit ut emineant undique perspicui.
Sed formae portenta tuae deformia membra
Quis pingat? quando haec cernere nemo velit?

141

IN CAPPADOCHEM VIRULENTUM,
E GRAECO⁷⁶

Vipera Cappadocem mordens mala protinus hausto
Tabifico perit sanguine Cappadocis.

142

IN STATUAM FERREAM, E GRAECO⁷⁷

Effigiem statuere tibi rex perditior orbis
Ex ferro, ut longe vilius aere foret.
Hoc fecere fames, caedes, furor, acris egestas,
Haec tua quis omnes perdit avaritia.

143

VERSUS IAMBICI DIMETRI
BRACHYCATALECTICI
AD CANDIDUM, QUALIS UXOR DELIGENDA

Iam tempus id petit
Monetque Candide,
Vagis amoribus
Tandem renuncies,

Tandemque desinas
Incerta Cypridis
Sequi cubilia.
Quaerasque virginem,
Quam rite iam tibi
Concorde vincias
Amore coniugem,
Quae iam genus tuum,
Quo nil beatius,
Fecunda dulcibus
Natis adaueat.
Pater tibi tuus
Hoc ante praestitit.
Quod a prioribus
Prius receperis
Non absque fenore
Repende posteris.
Non sit tibi tamen
Haec cura maxima
Spectare Candide
Quid dotis afferat,
Quam sitve candida.
Infirmus est amor,
Quem stultus impetus
Decore concitus
Parit, vel improbus
Ardor pecuniae.
Quicumque amaverit
Propter pecuniam
Amatur huic nihil
Praeter pecuniam.
Capta pecunia
Vanescit ilico
Item fugax amor,
Fereque iam prius
Perit quam nascitur.
At nec pecunia,
Quam avarus antea
Miser cupiverat,
Iuvare postea
Quicquam potest, ubi
Quam non amaverit
Invitus at tamen
Omnino cogitur
Tenere coniugem.

⁷⁴ Εἰ τις ἀπαξ γήμας, πάλι δευτέρα λέκτρα διώκει, / ναυηγὸς πλώει δις βυθὸν ἀργαλέον. (AP 9: 133)

⁷⁵ Ψυχὴν μὲν γράμμαι, χαλεπὸν μορφήν δὲ χαράζαι, / ῥάδιον ἄλλ' ἐπὶ σοὶ τοῦμπαλιν ἀμφοτέρα. / τῆς μὲν γὰρ ψυχῆς τὸ διάστροφον ἔξω ἄγουσα / ἐν τοῖς φαινομένοις ἡ φύσις εἰργάσατο. / τὸν δ' ἐπὶ τῆς μορφῆς φόρυβον, καὶ σώματος ὕβριν, / πῶς ἂν τις γράμμη, μὴδ' ἐσιδεῖν ἐθέλων; (AP 11: 412)

⁷⁶ Καππαδοκὴν πὸτ' ἐχθὶνα κακὴ δάκεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ / κάτθανε, γευσασμένη αἵματος ἰοβόλου. (AP 11: 237)

⁷⁷ Εἰκόνα σοὶ βασιλεῦ κοσμοφόρε τήνδε σιδήρου / ἄνθεσαν, ὡς χαλκοῦ πολλὸν ἀτμοτέρην. / ἀντὶ φόνου, πενήσις τ' ὀλοῆς, λιμοῦ τε, καὶ ὀργῆς. / οἷς πάντας φθεῖρεις ἐκ φιλοχρημοσύνης. (AP 11: 270)

Quid forma? numquid haec
 Vel febre decedit?
 Annisve deperit?
 Ut sole flocculus:
 Tum defluentibus
 Genae coloribus,
 Amor ligaverant
 Quem haec sola vincula,
 Solutus aufugit.
 At verus est amor
 Quem mente perspicax,
 Ratione consule
 Prudens iniverit ;
 Et quem bono omine
 Virtutis inclutae,
 (Quae certa permanens
 Non febre decedit,
 Annisve deperit)
 Respectus efficit.
 Primum ergo quam voles
 Amice, ducere,
 Quibus parentibus
 Sit orta perspice:
 Ut mater optimis
 Sit culta moribus,
 Cuius tenellula
 Mores puellula
 Insugat, exprimat.
 Tum qua sit indole,
 Quam dulcis, hoc vide,
 Ut ore virginis
 Insit serenitas,
 Ab ore virginis
 Absitque torvitas;
 At rursus ut tamen
 Sit in genis pudor,
 Nec ore virginis
 Insit procacitas.
 Et sit quieta, nec
 Cingat salacibus
 Viros lacertulis.
 Vultu modesta sit,
 Nec spectet undique
 Vagis ocellulis.
 Proculque stulta sit
 Parvis labellulis
 Semper loquacitas,
 Proculque rusticum
 Semper silentium.
 Sit illa vel modo
 Instructa litteris,
 Vel talis ut modo
 Sit apta litteris,
 Felix, quibus bene
 Priscis ab optimis
 Possit libellulis

Vitam beantia
 Haurire dogmata.
 Armata, cum quibus
 Nec illa prosperis
 Superba turgeat,
 Nec illa turbidis
 Misella lugeat
 Prostrata casibus.
 Iucunda sic erit
 Semper, nec umquam erit
 Gravis, molestave
 Vitae comes tuae.
 Quae docta parvulos,
 Docebit et tuos
 Cum lacte literas
 Olim nepotulos.
 Iam te iuvaverit
 Viros relinquere,
 Doctaeque coniugis
 Sinu quiescere,
 Dum grata te fovet,
 Manuque mobili
 Dum plectra personant
 Et voce (qua nec est
 Progne sororculae
 Tuae suavior)
 Amoena cantilat,
 Apollo quae velit
 Audire carmina.
 Iam te iuvaverit
 Sermone blandulo
 Docto tamen, dies
 Noctesque ducere,
 Notare verbula
 Mellita maximis
 Non absque gratiis
 Ab ore melleo
 Semper fluentia,
 Quibus coerceat
 Si quando te levat
 Inane gaudium,
 Quibus levaverit,
 Si quando deprimat
 Te maeror anxius,
 Certabit in quibus
 Summa eloquentia
 Iam cum omnium gravi
 Rerum scientia.
 Talem olim ego putem,
 Et vatis Orphei
 Fuisse coniugem
 Nec umquam ab inferis
 Curasset improbo
 Labore feminam
 Referre rusticam.
 Talemque credimus

Nasonis inclutam,
 Quae vel patrem queat
 Aequare carmine,
 Fuisse filiam.
 Talemque suspicor
 (Qua nulla carior
 Unquam fuit patri,
 Quo nemo doctior)
 Fuisse Tulliam.
 Talisque, quae tulit
 Gracchos duos, fuit,
 Quae quos tulit, bonis
 Instruxit artibus.
 Nec profuit minus
 Magistra quam parens.
 Quid prisca saecula
 Tandem revoluiimus?
 Utcumque rusticum,
 Unam tamen tenet
 Nostrumque virginem,
 Tenet, sed unicam,
 At sic ut unicam
 Plerisque praeferat,
 Cuique conferat
 Ex his, fuisse, quae
 Narrantur omnibus
 Tot retro saeculis,
 Quae nunc et ultimam
 Monet Britanniam
 Perlata pennulis
 Famae volucris,
 Laus atque gloria
 Orbis puellula
 Totius unica,
 Ac non modo suae
 Cassandra patriae.
 Dic ergo Candide,
 Si talis et tibi
 Puella nuberet,
 Quales ego tibi
 Supra recensui,
 Desit licet queas
 Formam requirere,
 Dotisque quod parum
 Lucrere conqueri?
 Hic sermo verus est,
 Quaecumque sit, satis
 Est bella quae placet,
 Nec quisquam habet magis
 Quam qui sibi satis
 Quodcumque habet, putat.
 Sic nunc me amet mea,
 Ut nil ego tibi,
 Amice, mentiar.
 Cuicumque gratiam
 Formae negaverit

Natura virgini,
 Certe licet siet
 Carbone nigrrior,
 Foret tamen mihi hac
 Virtutis indole
 Olore pulchrior.
 Cuicumque lubrica
 Dotem negaverit
 Fortuna virgini,
 Certe sit licet
 Vel Iro egentior,
 Foret tamen mihi hac
 Virtutis indole
 Te Croese ditior.

144

RIDICULUM IN
 MINACEM
 Thrasonis uxorem bubulcus
 rusticus
 Absente eo vitiaverat.
 Domum reversus miles ut
 rem comperit,
 Armatus et ferus insilit.
 Tandem assecutus solum in
 agris rusticum,
 Heus clamat heus heus
 furcifer.
 Restat bubulcus, saxaque in
 sinum legit.
 Ille ense stricto clamitat,
 Tu coniugem meam attigisti
 carnifex?
 Respondit imperterritus,
 Feci: fateris? inquit. At ego
 omnes deos,
 Deasque testor, O scelus,
 In pectus hunc ensem tibi
 capulo tenus,
 Ni fassus esses, abderem.

145

DE MEDIOCRITATE, E
 GRAECO⁷⁸
 Agros ego haud porrectiores
 appeto.
 Non auream aut Gygis
 beatitudinem.
 Quae sit satis sibi, vita sat
 eadem est mihi.
 Illud nihil nimis, nimis mihi
 placet.

⁷⁸ Οὐ στέργω βαθυλήϊους ἀρούρας, / οὐκ ἄλβον πολύχρυσον οἶα Γύγης. / αὐτάρκους ἔραμαι βίου Μακρίνε. / τὸ μὴθὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει. (AP 9: 110)

146

HECTOR MORIENS, E GRAECO⁷⁹

Proicitote meum, Danaï, post fata cadaver,
Nam metuunt lepores occisi membra leonis.

147

IN STULTUM POETAM

Scripserat Aeneam nulli pietate secundum,
Vates secundus nemini.
Quidam igitur regem dum vult laudare, Maronem
Pulchre aemulatus scilicet,
Hic hic est, inquit, princeps cui nemo secundus.
Hac laude rex indignus est,
Ipse sed est vates dignissimus. Ergo age demus
Utrique laudem debitam.
Hic hic est igitur vates, cui nemo secundus,
Rex qui secundus nemini.

148

IN QUENDAM QUI SCRIPSERAT
HYMNOS DE DIVIS PARUM DOCTE,
TESTATUS IN PRAEFATIONE SE
EX TEMPORE SCRIPSISSE
NEC SERVASSE LEGES CARMINUM,
ET ARGUMENTUM NON RECIPERE ELOQUENTIAM

Hic sacer Andrae cunctos ex ordine fastos
Perstringit mira cum brevitate liber.
Ipsos quos cecinit superos, dum scriberet omnes,
Credibile est vati consuluisse suo.
Nam subito scripsit, sed sic ut scribere posset
Quantumvis longo tempore non melius.
Et pia materia est, priscisque intactus ab ipsis
Servatus fato est huic operi iste stilus,
Seque quod ad numeros non anxius obligat omnes,
Hoc quoque non vitio sed ratione facit.
Maiestas operis metro esse obnoxia non vult,
Nempe ibi libertas est, ubi spiritus est.
Ipsa operis pietas indocto sufficit, at tu
Castalio quisquis fonte bibisse soles,
Singulari si trutines, erit hinc tibi tanta voluptas,
Quanta tibi ex alio non fuit ante libro.

149

IN STRATOPHONTA
PUGILEM IGNAVUM, E GRAECO⁸⁰

Dux Ithacus, patria bis denos abfuit annos.
Quum rediit, celeri cognitus usque cani est.

Te pugil O Stratophon, certantem quattuor horas,
Et canis et populus dedicere simul.
Quin etiam speculum de te si consulis ipse,
Iuratus Stratophon te Stratophonta neges.

150

IN PUGILEM IGNAVUM, E GRAECO⁸¹
Nesimus ecce pugil vatem consultat Olympum,
An ventura sibi sera senecta foret.
Fors rude donatus vives, ait ille, minatur
Certanti gelidus sed tibi falce deus.

151

IN PARASITUM, E GRAECO⁸²
Stare putes stadio Eutyichides quum curreret, at quum
Curreret ad cenam, nempe volare putes.

152

IN BIBONEM, E GRAECO⁸³
Serta, unguenta, meo ne gratificare sepulcro.
Vina, focus, lapidi sumptus inanis erit.
Haec mihi da vivo. Cineres miscere falerno,
Nempe lutum facere est, non dare vina mihi.

153

IN BIBONEM, E GRAECO⁸⁴
E terra genitus, sub terram morte recondar.
Ergo lagena mihi terrea plena veni.

154

IN MULIEREM FOEDAM, E GRAECO⁸⁵
Te speculum fallit, speculum nam Gellia verum,
Si semel inspiceres, numquam iterum inspiceres.

155

IN FOEDAM, E GRAECO⁸⁶
Fugerit ad Parthos, vel ad Herculis usque columnas,
Visa semel, positus vestibus, Antipatra.

⁷⁹ Βάλλετε νῦν μετὰ πότιμον ἐμὸν δέμας, ὅττι καὶ αὐτοὶ / νεκροῦ σῶμα λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί. (AP 16: 4)

⁸⁰ Εἰκοσέτους σωθέντος Ὀδυσσεὸς εἰς τὰ πατρώα, / ἔγνω τὴν μορφήν ἀργὸς ἰδὼν ὁ κύων. / ἀλλὰ σὺ πυκτεύσας Στρατοφῶν ἐπὶ τέσσαρας ἄρας, / οὐ κυσὶν ἄγνωστος, τῇ δὲ πόλει γέγονας. / ἦν ἐθέλης δὲ πρόσωπον ἰδεῖν ἐς ἔσοπτρα σεαυτοῦ, / οὐκ εἰμὶ Στρατοφῶν αὐτὸς ἐρεῖς ὁμόσας. (AP 11: 77)

⁸¹ Πρὸς τὸν μάντιν Ὀλυμπον Ὀνήσιμος ἦλθεν ὁ πύκτης, / εἰ μέλλει γηρᾶν βουλόμενος προμαθεῖν. / κάκεινος ναί φησιν, ἐὰν ἦδη καταλύσης. / ἂν δέ γε πυκτεύης, ὠροθετεῖ σε Κρόνος. (AP 11: 161)

⁸² Ἦν βραδὺς Εὐτυχίδης σταδιοδρόμος, ἀλλ' ἐπὶ δεῖπνον / ἔτρεχεν, ὥστε λέγειν, Εὐτυχίδης πέταται. (AP 11: 208)

⁸³ Μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίνας στήλαισι χαρίζου, / μὴ δὲ τὸ πῦρ φλέξης, εἰς κενὸν ἢ διαπάνη. / ζῶντί μοι εἴ τι θέλεις, χάρισαι, τέφρην δὲ μεθύσκων, / πηλὸν ποιήσεις, κοῦχ ὁ θανὼν τίεται. (AP 11: 8)

⁸⁴ Δὸς μοι τοῦκ γαίης πεπονημένον ἀδὺ κύπελλον, / ἄς γενόμην, καὶ ὑφ' ἧ κείσομαι ἀποφθίμενος. (AP 11: 43)

⁸⁵ Ψευδὲς ἔσοπτρον ἔχει Δημοσθενίς, εἰ γὰρ ἀληθὲς / ἔβλεπεν, οὐκ ἂν ὄλωσ ἦθελεν αὐτὸ βλέπειν. (AP 11: 266)

⁸⁶ Ἀντιπάτραν γυμνὴν εἴ τις Πάρθοισιν ἔδειξεν, / ἔκτοθεν ἂν στηλῶν Ἡρακλέους ἔφυγον. (AP 11: 201)

156

IN FOEDAM, E GRAECO⁸⁷

Qui miser uxorem deformem duxit, habebit
Vespere, iam accenso lumine, adhuc tenebras.

157

IN BARBA TANTUM PHILOSOPHUM,
E GRAECO⁸⁸

Si promissa facit sapientem barba, quid obstat
Barbatus possit quin caper esse Plato?

158

DE LICENTIA

Ultra concessos indulta licentia fines
Provehitur celeri, non revocanda gradu.
Si patiare pedem calcet tibi vespere coniunx,
Calcabit surgens haec tibi mane caput.

159

EPIGRAPHIUM ABYNGDONII CANTORIS

Attrahat huc oculos, aures attraxerat olim
Nobilis Henricus cantor Abyngdonius.
Unus erat, nuper mira qui voce sonaret.
Organa qui scite tangeret, unus erat.
Vellensis primo templi decus, inde sacellum
Rex illo voluit nobilitare suum.
Nunc illum Regi rapuit deus, intulit astris,
Ipsis ut nova sit gloria caelitis.

160

ALTERUM DE EODEM

Hic iacet Henricus, semper pietatis amicus.
Nomen Abyngdon erat, si quis sua nomina quaerat.
Vuellis hic ecclesia fuerat succentor in alma,
Regis et in bella cantor fuit ipse capella.
Millibus in mille cantor fuit optimus ille.
Praeter et haec ista, fuit optimus orgaquenista.
Nunc igitur Christe quoniam tibi serviit iste
Semper in orbe soli, da sibi regna poli.

161

IN IANUM HEREDEM ABYNGDONII

Scripti elegum carmen, Iano me herede rogante,
Quod tumulum Henrici signet Abyngdonii.
Displicet, et doctis bene displicisset, at illi
Displicet hoc tantum, si quid inest melius.
Non resonant isti versus, ait; illico sensi
Quales lactucas, talia labra petant.
Ridendos ergo ridens effutio versus.
Hos vorat applaudens Ianus utraque manu.
Hos tumulo inscalpsit, sub eundem protinus obdi
Atque iisdem dignus versibus ipse legi.
Ante retroque bifrons Ianus deus omnia vidit.
Talpa, effrons videt hic Ianus utrinque nihil.

162

AD AULICUM

Saepe mihi iactas faciles te ad principis aures
Libere et arbitrio ludere saepe tuo.
Sic inter domitos sine noxa saepe leones
Luditur, ac noxae non sine saepe metu.
Infremit incerta crebra indignatio causa
Et subito mors est, qui modo ludus erat.
Tuta tibi non est, ut sit segura voluptas.
Magna tibi est, mihi sit dummodo certa minor.

163

IN TYNDALUM DEBITOREM

Ante meos quam credideram tibi Tyndale nummos
Quum libuit, licuit te mihi saepe frui.
At nunc si tibi me fors angulus offerat ullus,
Haud secus ac viso qui pavet angue, fugis.
Non fuit umquam animus mihi crede reposcere nummos.
Non fuit, at ne te perdere cogar, erit.
Perdere te salvo nummos volo, perdere utrumque
Nolo, sat alterutrum sit periisse mihi.
Ergo tibi nummis, aut te mihi redde, retentis.
Aut tu cum nummis te mihi redde meis.
Quod tibi si neutrum placeat, nummi mihi saltem
Fac redeant, at tu non rediture, Vale.

⁸⁷ Ὁ τὴν γυναῖκα τὴν ἄμορφον δυστυχῶν, / λύχνους ἀνάψας ἐσπέρας, σκότος βλέπει. (AP 11: 287)

⁸⁸ Εἰ τὸ τρέφειν πάγων ἀδοκεῖ σοφίαν περιποιεῖν, / καὶ τράγος εὐπάγων, εὖστολός ἐστι Πλάτων. (AP 11: 430)

164

IN MENDICUM GERENTEM
SE PRO MEDICO

Tu te fers medicum, nos te plus esse fatemur,
Una tibi plus est littera, quam medico.

165

IN UXOREM IMPUDICAM

Est fecunda mei, fecunda est uxor Arati,
Nempe suo genuit ter sine feta viro.

166

IN PERPUSILLUM, E GRAECO⁸⁹

Ut fugeret miseræ Diophantus taedia vitae,
Usus Arachneo est stamine, pro laqueo.

167

DE PUELLA QUAE RAPTUM FINXIT

Conspiceret solam iuvenis cum forte puellam,
Et sibi oportunum crederet esse locum,
Improbis invitam cupidus amplectitur ulnis,
Basiaque et plus quam basia ferre parat.
Illa reluctata est, legemque irata minatur,
Qua miser, effuso sanguine, raptor obit.
Instetit ille tamen iuvenili ardore protervus,
Nunc precibus satagit, nunc superare metu.
Non precibus, non illa metu superata reclamationat.
Calce petit, mordet dente, manuque ferit.
Ira subit iuvenem iam paene libidine maior,
Et ferus, O demens siccine pergis, ait.
Per tibi ego hunc ensem iuro, simul extulit ensem,
Commoda ni iaceas, ac taceas, abeo.
Illico succubuit tam tristi territa verbo,
Atque age, sed quod agis, vi tamen, inquit, agis.

168

IN CHRYSALUM

Chrysalus in silvis loculos quum conderet, haesit,
Certa loci possent, quae sibi signa capi.
At super ut summa raucum videt arbore corvum,

Hic mihi conspicua est, inquit, abitque, nota.
Capti sola scopi redeuntem copia lusit,
Nam sua iam in quavis arbore signa videt.

169

IN ASTROLOGUM

Dum tua quos noster celebrat pro vatibus error
Fata cient positu sideris astrologi,
Haec dum stella favet, dumque haec tibi stella minatur,
Pendula mens inter spemque, metumque tua est.
Prospera seu venient, venient reticentibus illis,
Assolet et subitum laetius esse bonum.
Seu venient adversa diu nescire iuvabit,
Usura et medii temporis usque frui.
Quin iubeo fatis etiam prohibentibus ipsis,
Fac tibi mens hilares transigat aequa dies.

170

IN CRUCE DIGNUM, E GRAECO⁹⁰

Mastauron elementa tibi duo subtrahe prima,
Nemo te reliquis dignior esse potest.

171

EPITAPHIUM, E GRAECO⁹¹

Quattuor hic tumulus fratres complectitur; ex his
Proh dolor una duos lux parit, ac perimit.

172

E GRAECO⁹²

Fortis erat bello Timocritus, hic iacet ergo.
Fortibus haud parcis Mars fere, sed timidus.

173

E GRAECO⁹³

Ista Neoclidæ natos habet urna gemellos,
Servitio hic patriam liberat, hic vitio.

⁸⁹ Βουλόμενός ποθ' ὁ λεπτός ἀπάγξασθαι Διόφαντος, / νῆμα λαβὼν ἀράχνης, αὐτὸν ἀπηγγόνισεν. (AP 11: 111)

⁹⁰ Μασταύρων ἀφελὼν δύο γράμματα Μάρκε τὰ πρῶτα, / ἄξιός εἰ πολλῶν τῶν ὑπολειπομένων. (AP 11: 230)

⁹¹ Δίς δὴ ἀδελφοὺς ὧδ' ἐπέχει τάφος. ἔν γάρ ἐπέσχον, ἤμαρ καὶ γενεῆς οἱ δύο, καὶ θανάτου. (AP 7: 323)

⁹² Καρτερός ἐν πολέμοις Τιμόκριτος, οὐ τότε σάμα. / Ἄρης δ' οὐκ ἀγαθῶν φεῖδεται, ἀλλὰ κακῶν. (AP 7: 160)

⁹³ Χαῖρε Νεοκλείδα, δίδυμον γένος. ὧν ὁ μὲν ὑμῶν, / πατρίδα δουλοσύνας ῥύσαθ', ὁ δ' ἀφροσύνας. (AP 7: 72)

174

AD QUENDAM CUI UXOR MALA DOMI

Uxor amice tibi est semper mala: quum male tractas,
Fit peior, sed fit pessima quando bene.
Sed bona si moriatur erit, melior tamen id si
Te faciat vivo, ast optima si propre.

175

DE NAUTIS EICIENTIBUS
MONACHUM IN TEMPESTATE,
CUI FUERANT CONFESSI

Quum tumida horrisonis insurgeret unda procellis,
Et maris in lassam ferveret ira ratem,
Religio timidis illabitur anxia nautis.
Heu parat, exclamant hoc mala vita malum.
Vectores inter Monachus fuit; huius in aurem
Se properant vitiis exonerare suis,
Ast ubi senserunt nihilo sibi mitius aequor,
Sed rapido puppim vix superesse freto,
Quid miri est ait unus, aqua si vix ratis extat?
Nostrorum scelerum pondere adhuc premitur.
Quin monachum hunc, in quem culpas exhausimus omnes,
Eiicite, et secum hinc crimina nostra ferat.
Dicta probant, rapiuntque virum, simul in mare torquent,
Et lintrem levius quam prius isse ferunt.
Hinc hinc quam gravis est peccati sarcina, disce,
Cuius non potuit pondera ferre ratis.

176

AD CANDIDUM, PAROCHUM
VITAE IMPROBAE

Factus es O populi pastor mi Candide magni,
Ter tibi, terque tuo gratulor ergo gregi.
Aut mihi iudicium minuit favor, aut tuus usquam
Non potuit talem grex habuisse patrem.
Non tibi vanarum est fastosa scientia rerum,
Quippe nec in populum est utilis illa tuum.
At rarae tibi sunt virtutes, sic tibi raros
Patribus ex priscis credo fuisse pares.

Quid faciant, fugiantve tui, quo cernere possint
Vita potest claro pro speculo esse tua.
Tantum opus admonitu est, ut te intueantur, et ut tu
Quae facis, haec fugiant: quae fugis, haec faciant.

177

E GRAECO⁹⁴

Naufragus hac situs est, iacet illa rusticus urna.
Ad Styga sive solo par via, sive salo.

178

IN POSTHUMUM EPISCOPUM

Praesul es, et merito praefectus Posthume sacris,
Quo magis in toto non erat orbe sacer.
Gaudeo tam magnum, tam sanctum gaudeo munus,
Tandem non temere nunc, velut ante dari.
Nempe errare solet temerarius impetus, at te
Delectum magna sedulitate patet,
Namque ubi de multis tantummodo sumitur unus,
Saepe malus casu, pessimus arte venit.
At te, de multis legitur si millibus unus,
Stultior haud possit, deteriorve legi.

179

DE BOLLANO

Urticis lectum Bollano urentibus omnem
Insternunt socii, quum cubiturus erat.
Se tamen urticis ustum negat, haud negat illas
In tenebris nudum se reperisse tamen.
Unguibus aut igitur vitata carne necesse est,
Aut nudis tantum dentibus inciderint.
Quum tamen in tenebris illaesus repperit herbas,
Urticas quanam repperit esse nota?

180

DE VULPE AEGROTA ET
LEONE APOLOGUS

Dum iacet angusta vulpes aegrota caverna,
Ante fores blando constitit ore leo.
Ecquid amica vales? cito me lambente valebis,
Nescis in lingua vis mihi quanta mea.
Lingua tibi medica est, vulpes ait: at nocet illud
Vicinos quod habet tam bona lingua malos.

⁹⁴ Ναυηγού τάφος εἰμί. ὁ δ' ἀντίον ἐστὶ γεωργού, / ὡς ἄλλι, καὶ γαίη ξυνὸς ὕπεστ' Ἀΐδης. (AP 7: 265)

181

DE LEONE ET LYSIMACHO

Dum domitus placido leo lamberet ore magistrum,
Provocat exemplo quemlibet ipse suo.
Quumque diu ex tanta prodiret nemo corona,
Prosiliit forti pectore Lysimachus.
Ipse, ait, audebo linguam tetigisse leonis
Sed tam vicinis dentibus haud faciam.

182

IN FABIANUM ASTROLOGUM

Uno multa die de rebus fata futuris,
Credula quum de te turba frequenter emat,
Inter multa unum si fors mendacia verum est,
Illico vis vatem te Fabiane putem.
At tu de rebus semper mentire futuris.
Si potes hoc, vatem te Fabiane putem.

183

IN REGEM SCOTIAE, QUI ARCEM NORHAMAM
PRODITAM SIBI TAMEN OPPUGNAVIT
DISSIMULANS PRODITAM ESSE

Scote quid oppugnas Norhamam viribus arcem
Ante tibi falsa prodicione datam?
An fraudis pudet? at tam multis, et tot apertis
In vitiis non est illa pudenda tuis.
Artibus ergo malis capta fuit arce voluptas
Magna tibi forsitan, sed brevis illa fuit.
Teque, tuisque mala (merita sed) morte peremptis,
Arx intra est paucos capta, recepta dies.
Proditor inque tuo peteret quum praemia regno,
Mors sceleri est merces reddita digna suo.
Proditor ut pereat, pereat cui proditur hostis,
Invicta in fatiis arx habet ista suis.

184

EPITAPHIUM IACOBI REGIS SCOTORUM

Scotorum Iacobus princeps, regno hostis amico
Fortis et infelix hac ego condor humo.
Quanta animi fuerat, fidei vis tanta fuisset.
Cetera contigerant non inhonesta mihi.
Sed pudet heu iactare, queri piget, ergo tacebo,
Garrulaque O utinam fama tacere velis.
Vos tamen, O reges moneo, rex nuper et ipse,
Ne sit (ut esse solet) nomen inane fides.

185

IN MALUM PICTOREM

Exprimit egregia pictor mirabilis arte,
Dira canis pavitans ut fugit ora lepus.
Intima naturae scrutatus viscera fingit
In cursu leporem retro metu aspiciere.
Tam bene qui leporem fugientem expresserit, opto
Sit lepus, et fugiens ipse retro aspiciat.

186

IN EUNDEM

Cum cane sic pictus lepus est, ut dicere nemo
Esset uterve canis posset, uterve lepus.
Pictor ubi hoc didicit, quod inertis defuit arti,
Supplevit miro callidus ingenio.
Res ut aperta foret, longeque facesseret error,
Subscripsit tantum, est hic canis, iste lepus.

187

DE TYNDARO

Non minimo insignem naso dum forte puellam
Basiat, en voluit Tyndarus esse dicax.
Frustra ait ergo tuis mea profero labra labellis,
Nostra procul nasus distinet ora tuus.
Protinus erubuit, tacitaque incanduit ira,
Nempe parum salso tacta puella sale.
Nasus ab ore meus tua si tenet oscula, dixit,
Qua nasus non est hac dare parte potes.

188

IN BRIXIUM GERMANUM FALSA SCRIBENTEM
DE *CHORDIGERA* NAVE GALLORUM
ET HERVEO EIUS DUCE

Hervea dum celebras Brixi, tua carmina damnas.
Nam tibi scripta mala est res bene gesta, fide.
Historiam spondes illa Germane poesi
Quae modo quum non sit vera, nec historia est.
Aut odio incipiant, aut indulgere favori,
Et quisnam historiis qui modo credat, erit?
Iamque nec ipse tuus per te laudem Herueus ullam
Sublata rerum possit habere fide.

189

IN EUNDEM DE EODEM HERVEO ET
EAEDEM NAVE, QUAE IN PUGNA
NAVALI CONFLAGAVIT

Brixius immerita quod sustulit Hervea laude,
Quod merito adversum fraudat honore ducem,
Quod de chordigera mendacia mille carina
Contra quam sese res habuere, canat,
Non equidem miror, neque pravo falsa favore
Quod voluit prudens scribere, credo tamen.
Sed de chordigera, vatem qui vera doceret,
Quivit adhuc reducem nemo referre pedem
Ipse tamen (sciret quo certius omnia) dignus,
Qui media praesens nave fuisset, erat.

190

VERSUS EXCERPTI E *CHORDIGERA*
BRIXII, AD QUOS ALLUDUNT QUAEDAM
EPIGRAMMATA SEQUENTIA

Circumeunt unum dextra laevaue Britanni
Hervea, tela volant brumali grandine plura
In caput unius Hervei, quae fortiter heros
Excutiens clipeo, contraria in agmina vertit.

POSTEA DE EAEDEM *CHORDIGERA*

Ipse suos Herveus comites hortatur, et instat,
Atque inter primos audax magno impete in hostes
Invehitur, ferit hos misso per tempora telo.
Transigit huic gladio costas, huic ilia nudat.
Decutit his caput, impacta per colla bipenni.
His latus, his humeros hasta perstringit acuta.

191

ALIUD DE EODEM

Miraris clipeum, gladium, hastam, tela, bipennem,
Herveus quoque gerat belligeretque modo.
Dextera crudeli manus est armata bipenni,
Instructa est gladio saeva sinistra suo.
Iam telum, telique vicem quae praebeat, hastam
Fortiter (impressis dentibus) ore tenet.
At quia tela caput brumali grandine plura
Involitant, clipeum collocat in capite.
Duritia capitis draco cesserit, ungue Celaeno,
Sic elephas illi dentibus impar erat.
Ergo novum adversos monstrum procurrit in hostes,
Terribilis rictu, terribilisque manu.

192

HIC PRIMUS VERSUS BRIXII EST, QUO
HERVEA IAM MORITURUM DE SE
FACIT VATICINANTEM

Inter Phoebos non aspernandus alumnos
Hervei magna canit Brixius acta ducis.
Inter Phoebos non aspernandus alumnos,
Herveum, hostes, socios, concremat atque rates.
Inter Phoebos non aspernandus alumnos,
Unde igitur vates, quae cecinit, didicit?
Inter Phoebos non aspernandus alumnos,
Phoebeo reliquum est audiat ex tripode.

193

IN EUNDEM VERSUS POETARUM
SUFFURANTEM

Priscos poetas nemo te colit magis,
Legitve diligentius.
Nam nemo priscis e poetis omnibus
Est, cuius ipse ex versibus,
Non hinc et inde flosculos et gemmulas
Manu capaci legeris,
Vatem redonans tanto honore protinus,
Scriptis tuis ut inseras.
Beasque vatem: nempe quae tu congeris,
Suos parentes indicant,
Magisque resplendent tua inter carmina,
Quam nocte lucent sidera.
Tantum decus vati invidere nemini
Soles, amicus omnium,
Ne quis, decus prioris olim saeculi,
Neglectus abs te defleat.
Ergo sacrati ne poetarum modi
Longo situ obsolescerent,
Iniuria tu vindicatos temporis
Novo nitore percolis.
Hoc est vetustis arte novitatem dare,
Qua re nihil felicius.
Ars O beata, quisquis arte istac tamen
Vetusta novitati dabit,
Is arte nulla (quamlibet sudet diu)
Novis vetustatem dabit.

194

ALLUSIO AD CENOTAPHIUM HERVEI

Hervea cum Deciis unum conferre duobus,
Aetas te Brixii iudice nostra potest.
Sed tamen hoc distant, illi quod sponte peribant,
Hic periit, quoniam non potuit fugere.

195

PHOEBUS BRIXIUM ALLOQUITUR

Vis de grandisono quid sentio scire libello,
Qui arma, necemque Hervei bellipotentis habet?
Ergo sacer Phoebos sacra haec oracula vates
Accipe, Phoebos reddita de tripode.
Una opere in toto deest syllaba, mille supersunt.
Plenum opus est, nam quid posset abesse minus?
Una uno haec legitur, sed non legitur tibi, mense,
Et plus quam medium syllaba mensis habet.

196

AD SABINUM, CUI UXOR

ABSENTI CONCEPIT

Subsidium vitae, serae spes una senectae,
Nata tibi est soboles, curre Sabine domum.
Curre, salutanda est uxor fecunda, videnda est
Cara tibi soboles, curre Sabine domum.
Curre, inquam, ac propera, nimiumque videbere lentus,
Quantumvis properes, curre Sabine domum.
Iam queritur coniunx de te tua, iam tua de te
Conqueritur soboles, curre Sabine domum.
Numquam ingratus ades, neque cum soboles tibi nata est,
Sed neque cum genita est, curre Sabine domum.
Curre, ut ades, puer sacro dum fonte lavatur,
Nunc saltem possis, curre Sabine domum.

197

AD CANDIDUM LAUDANTEM SANCTOS
VIROS, QUUM IPSE ESSET MALUS

Saepe bonos laudas, imitaris Candide numquam.
Laudo, inquis, posita Candide invidia.
Nam quicumque bonos imitatur, et aemulus idem est.
O lacte, O nivibus Candide candidior.

198

QUIS OPTIMUS REIPUB. STATUS

Quaeris uter melius, Rex ne imperet an ne Senatus.
Neuter (quod saepe est) si sit uterque malus.
Sin sit uterque bonus, numero praestare Senaturn,
Inque bonis multis plus reor esse boni.
Difficile est numerum forsitan reperire bonorum,
Sic facile est unum saepius esse malum,
Et fuerit medius saepe inter utrumque Senatus,
Sed tibi vix umquam Rex mediocris erit.
Consilioque malus regitur meliore Senator,
Rex consultores sed regit ipse suos.
Alter ut eligitur populo, sic nascitur alter.
Sors hic caeca regit, certum ibi consilium.
Illeque se factum populo, populum sibi factum
Scilicet hic ut sint quos regat ipse putat.
Rex est in primo semper blandissimus anno,
Omni anno consul rex erit ergo novus.
Rex cupidus longo populum corroserit aevo.
Si consul malus est, spes melioris adest.
Nec me nota movet quae pastam fabula muscam
Ferre iubet, subeat ne male pransa locum.
Fallitur, expleri regem qui credit avarum,
Numquam haec non vacuam mittet hirudo cutem.
At patrum consulta gravis dissensio turbat,
Regi dissentit nemo, malum hoc gravius.
Nam quum de magnis varia est sententia rebus,
Quaestio sed tamen haec nascitur unde tibi?
Estne usquam populus, cui regem sive Senaturn
Praeficere arbitrio tu potes ipse tuo?
Si potes hoc, regnas: nec iam cui, consule, tradas
Imperium: prior est quaestio, an expediat.

199

DE FUSCO POTORE

Potando medicus perituros dixit ocellos
Fusco, qui cum se consulisset, ait:

Perdere dulcius est potando, quam ut mea servem
Erodenda pigris lumina vermiculis.

200

AD AMICUM

Littera nostra tuis quantum mihi colligo scriptis,
Sera tibi veniet, nec tibi sera tamen.
Nec bello veniunt intempestiva peracto,
Quae bello poterant tela iuvare nihil.

201

DE REGE ET RUSTICO

Rusticus in silvis nutritus venit in urbem,
Rusticior Fauno, rusticior Satyro.
En populus plena stetit hinc, stetit inde platea,
Unaque vox tota, Rex venit, urbe fuit.
Rusticus insolita vocis novitate movetur,
Quidnam ita respectet turba, videre cupit.
Rex subito invehitur, celebri praeaeunte caterva,
Aureus excelso conspiciendus equo.
Tum vero ingeminant, vivat rex: undique regem
Attonito populus suspicit ore suum.
Rusticus, O ubi rex? ubi rex est? clamat: at unus,
Ille, ait, est illo qui sedet altus equo.
Hiccine rex? puto me derides, rusticus inquit.
Ille mihi picta veste videtur homo.

202

IN EPISCOPUM ILLITERATUM
DE QUO ANTE EPIGRAMMA EST SUB
NOMINE POSTHUMI

Magne pater clamas, occidit littera, in ore
Hoc unum, occidit littera semper habes,
Cavisti bene tu, ne te ulla occidere possit
Littera, non ulla est littera nota tibi.
Nec frustra metuis ne occidat littera, scis non
Vivificet qui te spiritus esse tibi.

203

DE SACERDOTE RIDICULE ADMONENTE
POPULUM DE IEIUNIO, QUUM
DIES IAM PRAETERISSET

Admonuit populum noster cum forte sacerdos,
Proxima quos fastos afferat hebdomada,
Martyris Andreae magnum et memorabile festum est.
Scitis, ait, carus quam fuit ille deo.
Squalida lascivam tenuent ieiunia carnem,
Hoc suetum est, sancti hoc instituere patres.
Praemoneo ergo omnes, in martyris huius honorem,
Quod ieiunari debuit, inquit, heri.

204

DE QUODAM MALE CANTANTE
ET BENE LEGENTE

Tam male cantasti, possis ut episcopus esse.
Tam bene legisti, ut non tamen esse queas.
Non satis esse putet, si quis vitabit utrumvis,
Sed fieri si vis praesul, utrumque cave.

205

AD SABINUM

Quos ante coniunx quattuor
Natos Sabine protulit,
Multum ecce dissimiles tibi,
Tuos nec ipse deputas.
Sed quem tibi puellulum
Enixa iam nuperrime est,
Solum tibi simillimum
Pro quattuor complecteris.
Adulterinos quattuor
Vocas, repellis, abdicas.
Hunc unicum ceu *gnesion*,
Qui sit tibi heres, destinans.
Hunc ergo in ulnis gestiens,
Exosculandum ab omnibus,
Ut filium fert simia,
Totam per urbem baiulas.
Atqui graves tradunt Sophi,
Quibus laborque, studiumque id est,
Secreta quicquid efficit
Natura perscrutarier,
Ergo graves tradunt Sophi,
Quodcumque matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis datur opera,
Eius latenter et notas,
Certas et indelebiles,
Modoque inexplicabili
In semen ipsum congeri,
Quibus receptis intime,
Simulque concrescentibus
A mente matris insitam
Natus refert imaginem.
Quum tot abesses millibus,
Dum gignit uxor quattuor,

Quod esset admodum tui
Secura, dissimiles parit.
Sed unus omnium hic puer
Tui refert imaginem,
Quod mater, hunc dum concipit,
Sollicita de te plurimum,
Te tota cogitaverat,
Dum pertimescit anxia,
Ne tu Sabine incommodus
Velutque Lupus in fabulam
Supervenires interim.

206

DE PRINCIPE ET RUSTICO
SELANDO RIDICULUM

Quum spectaret aquas princeps, in ponte resedit,
Primoresque suos ante stetero pedes.
Rusticus assedit, modico tamen intervallo,
Civilemque dato se putat esse loco.
Suscitat hunc quidam et, cum principe, dixit, eodem
Ponte sedere audes, rustice? nonne pudet?
Ille refert, scelus est in eodem ponte sedere?
Quid si pons longus millia dena foret?

207

DE AULICO RIDICULUM

Quum descendit equo, de circumstantibus uni
Aulicus, hunc teneas quisquis es, inquit, equum.
Ille, ut erat pavidus, dixit, domine ergo ferocem
Hunc rogo qui teneat, sufficit unus, equum?
Unus ait potis est retinere. Subintulit ille,
Si potis est unus, tu potes ipse tuum.

208

IN MILITEM FUGACEM, ET ANULATUM

Aureus iste manus, miles, cur annulus ornat
Iure tuos ornet qui meliore pedes?
Utilior nuper, meliorque in Marte feroci
Planta tibi palmis una duabus erat.

209

IN BRIXIUM POETAM

Brixii tale tuo natum est aenigma libello
A Sphinge opponi possit ut Oedipodi.
Chordigera est tibi tota frequens, tibi non tamen usquam est
Cordigerae in toto syllaba prima libro.

210

IN TUSCUM POTOREM

Perdis, ait Tusco medicus, tua lumina vino.
Consultat secum quid velit ergo sequi.
Sidera, terra, fretumque solent quaecumque videri,
Omnia sunt, inquit, visa revisa mihi.
Multa mihi sed vina tamen gustanda supersunt,
Multa refert annus quum nova musta novus.
Iam certus, firmusque, valebitis inquit ocelli,
Nempe satis vidi, non satis usque bibi.

211

IN ARNUM PERIURUM

Iurasti satis Arne diu, tandem obtinuisti,
Iurare ut posthac iam tibi non sit opus.
Coepit ubique tuo vir iuratissime verbo
Quam iuramento non minor esse fides.

212

IN EUNDEM

Et semper iuras, et cunctis Arne minaris.
Vis scire utilitas quae venit inde tibi?
Sic iuras, ut nemo tibi iam denique credat.
Sic minitaris, ut has nemo minas metuat.

213

IN EUNDEM

Arno nemo magis pedibus valet usque, sed olim
Frigore contractas perdidit ille manus.
Optat bella tamen. Cui pes citus, utraque manca est
Cui manus, in bello scis puto, quid faciet.
At cui lingua procax, manus est ignava, procax est
Huic non ignava lingua secunda manu.

214

DE MARULLO

Admonuit medicus lippum Theodore Marullum,
Ne vinum (caecus ni velit esse) bibat.
Pareat ut medico (quamquam aegre) abstemius esse
Ecce duos totos sustinet usque dies.
Post sitit assueti revocatus imagine vini,
Iamque foras medico vera minante ruit.

Ventum erat ad vinum, quum sic sua lumina maestus
Affatur, posito iam peritura mero.
Huc iter est, huc me fidi duxistis ocelli,
Nunc bibite, et dulces ambo valete duces.
Gustus odorque manent, miratur abire colorem,
In nigras abeunt lumina dum tenebras.
Hoc tamen adversum lenit solamine casum,
Dote meri minima quod cariturus erat.

215

IN RISCUM EQUITEM IMBELLEM

Riscus eques prudens longoque peritus ab usu,
Dissimiles, causa non sine, pascit equos.
Namque alit ille duos: volucrem praeverterit alter,
Alter sed pigro pigrior est asino.
Hic ergo non festinantem ad praelia defert,
Ille prius tuba quam clanxerit, inde refert.

216

IN GELLIAM

Mentitur qui te dicit mea Gellia fuscam,
Iudice me non es Gellia fusca, nigra es.

217

IN EANDEM

Candida sum, dicis. Fateor, sed candida quum sis,
Cur tibi candorem hunc obtegit atra cutis?

218

IN EUPARIPHUM VESTE

OPPIGNERATO FUNDO EMPTA

Non miror sudare tuae te pondere vestis,
Quattuor haec terrae iugera vestis habet.
Quantum viventi tibi terrae ingesseris usquam
Tam magnum tumulum, nec tumulatus habet.

219

IN GAREMANUM VENDITIS

AGRIS PAUPEREM

En patrios nuper Garemanus vendidit agros,
Nunc subito fama vivere fertur inops.
Non illi ingenium, non illi industria deficit,
Verum inimica viro fata nocere puto.
Nam putres fulvo glebas mutaverat auro
Callidus, et numquam rem tamen ille facit.

220

AD SABINUM

Interiere duae, coniunx tibi tertia nupsit,
Nec tibi fida tamen de tribus ulla fuit.
Non tantum ergo tuas, sed damnas improbe totum
Femineum irata mente Sabine genus.
Si tamen hanc aequa rem vis expendere lance,
Fies erga ipsas mitior ipse tuas.
Nam tres quum fuerint iisdem tibi moribus omnes,
Astra haec nascenti fata dedere tibi.
Si genesis tua te semper iubet esse cucullum,
Scilicet expectas uxor ut astra regat?
Casta futura alii fuerat. Quod adultera tecum est,
Hoc merito fati imputat illa tuis.

221

IN NAUFRAGUM MORSUM

A VIPERA IN LITORE,

E GRAECO⁹⁵

Aequoris insanas evasit naufragus undas,
Tristius Afra salo praebet harena solum.
Dum iacet ecce gravi pressus prope litora somno
Nudus, et infesto fessus ab usque freto,
Vipera trux perimit. Frustra fugis aequora frustra,
Heu miser, in terris debita fata tibi.

222

DE CHIRURGO ET ANU

Unxit anus aegros velans Chirurgus ocellos,
Utile persuadens hoc fore quinque dies.
Interea mappas, pelves, mortaria, discos,
Quicquid onus tutum non facit, inde rapit.
Quum sanata oculos circumtulit illa revinctos,
Instrumenta suae sentit abesse domus.
Mercedem ergo exacta, tua contingeret, inquit,
Uberior pactum est, ut mihi uisus ope.
At video nunc quam ante minus, quorum usus in aede est.
Vidi multa prius, nunc video inde nihil.

223

AD QUENDAM

Quam tibi mens levis est, tibi si pes tam levis esset,
In medio leporem posses praevertere campo.

224

DE HERODE ET HERODIADE

Coram Herode Herodiadis dum filia saltat,
Dum quo debuerat displicuisse placet
Ebrius affectu rex coniugis, ebrius illo
Fortunae luxu, praetereaquo mero,
Opta ait O virgo, dabitur, iuravimus, huius
Dimidium regni poscere si libeat.
Impia suggestu sceleratae filia matris,
Inquit, Baptistae da precor ergo caput.
Dona petis virgo (si saltatrix virgo est)
Quae vix sustineas cernere dona petis.
O funesta parens, O natae dira noverca,
Saltare, atque homines quam iugulare doces.
Rex dolet, et tristis concedit, nempe coactus
Iurisiurandi religione sui.
O regem fidum, sed tunc tantummodo fidum,
Maius perfidia est quum scelus, ipsa fides.

225

AD QUENDAM EBRIOSUM

Tecum in colloquium quod non properantius ivi,
Segniciem incusas, conquererisque meam.
Confiteor vere, tibi non in tempore veni,
Senior, aut citior debuit hora legi.
Aut utinam eiusdem venissem mane diei,
Aut tibi venissem mane sequente die.
Nunc res luce nimis tractari coepit adulta,
Quando tua factum est ebrietate nihil.

226

IN PICTURAM HERODIANAE MENSAE

Sanguine funesta est Herodis mensa virili,
Sanguine funesta est mensaque Flaminii.
Tam similes caedes, similes fecere puellae,

⁹⁵ Στατυλλίου φλάκκου. / Λαίλαπα, καὶ μανίην, ὀλοῆς προφυγόντα θαλάττης. /
ναυηγὸν Λιβυκαῖς κείμενον ἐν ψαμάθοις, / οὐχ ἐκὰς ἠϊόνων, πυμάτω
βεβαρυμένων ὑπνω, / γυμνὸν, ἀπὸ στυγερῆς ὅς κάμε ναυφορίας, ἔκτανε λυγρὸς
ἔχις· τί μάτην πρὸς κύματ' ἐμόχθει, / τὴν ἐπὶ γῆς φεύγων μοῖραν ὀφειλομένην; (AP
7: 290)

Illam saltatrix obtinet, hanc meretrix.
Id tamen intererat, meretrici vita nocentis,
At saltatrici penditur innocui.

227

IN EANDEM PICTURAM
Ora viri foedo sancti fluitantia tabo,
Decussumque gerit regia mensa caput.
Corpora sic regi rex Atreus ambo Thyesti
Natorum apposuit frater edenda patri.
Sic regi Odrysio natum regina peremptum
Fida soror, genitrix perfida ponit Itym.
Talia regales ornant bellaria mensas,
Crede mihi, non est pauperis iste cibus.

228

IN VEHEMENTER NASUTUM, E GRAECO⁹⁶
Si tuus ad solem statuatur nasus hiante
Ore, bene ostendas dentibus, hora quota est.

229

IN FUCATUM, E GRAECO⁹⁷
Cur emitur fucus, coma, dens, mel, ceraque, posset
Quum persona tibi tota minoris emi?

230

IN HISTRIONEM, E GRAECO⁹⁸
Cetera ad historiam, quiddam tamen, id quoque magnum,
Iam tibi saltatum contra erat historiam.
Dum Nioben ageres, stabas tamquam lapis esses,
Quum fieres Capaneus, ecce repente cadis.
At Canacem gladio referens, quum vivus abisti,
Hoc tibi saltatum contra erat historiam.

231

IN HISTRIONEM, E GRAECO⁹⁹
Saltavit Nioben, saltavit Daphnida Memphis,
Ligneus ut Daphnen, saxeus ut Nioben.

232

SOBRIOS ESSE DIFFICILIORES, E GRAECO¹⁰⁰
Vespere quum bibimus homines sumus, atque benigni,
Mane homini siccus trux fera surgit homo.

233

IN ANDREAM IN MARE
VOMENTEM
Gratus es Andrea, dignusque cui bene fiat.
Nam pisces toties qui te pavere, repascis.

234

DE EODEM
Aequoris edisti pisces, irascitur aequor.
Aequo tuo fetus exigit ore suos.

235

IN PUELLAM DIVARICATIS
TIBIIS EQUITANTEM
Ergo puella viri quis te negat esse capacem,
Quum tua tam magnum circumdant crura caballum?

236

AD GALLUM SUBLEGENTEM
VETERUM CARMINA
Vatibus idem animusque, et vere spiritus idem,
Qui fuit antiquis, est modo Galle tibi.
Carmina namque eadem, versusque frequenter eosdem,
Quos fecere illi, tu quoque Galle facis.

237

IN SCURRAM PAUPEREM
Scurra ubi iam fures totam sibi nocte videret
Scrutantes magna sedulitate domum,
Risit, et O media quid vos hic nocte videtis
Miror, ait, media nil ego cerno die.

238

DE SOLLICITA POTENTUM VITA
Semper habet miseras immensa potentia curas,
Anxia perpetuis sollicitudinibus.

⁹⁶ Ἀντίον ἡελίου στήσας ῥίνα, καὶ στόμα χάσκων, / δείξεις τὰς ὥρας πᾶσι
παρερχομένας. (AP 11: 418)

⁹⁷ Ἠγόρασας πλοκάμους, φύκος, μέλι, κηρόν, δόδοντα. / τῆς ἀντὶς διαπάνης ὄνιν ἂν
ἠγόρασας. (AP 11: 310)

⁹⁸ Πάντα καθ' ἱστορίην ὀρχοῦμενος, ἐν τῷ μέγιστον / τῶν ἔργων παριδῶν, ἠνίασας
μεγάλως. / τὴν μὲν γὰρ Νιόβην ὀρχοῦμενος, ὡς λίθος ἔστης. / καὶ πάλιν ὄν
Καπανεύς, ἐξαπίνης ἔπεσε. / ἀλλ' ἐπὶ τῆς Κανάκης ἀφυῶς, ὅτι καὶ ξίφος ἦν σοι, /
καὶ ζῶν ἐξῆλθες, τοῦτο παρ' ἱστορίην. (AP 11: 254)

⁹⁹ Δάφνην, καὶ Νιόβην ὀρχήσατο Μέμφις ὁ σιμός. / ὡς ξύλινος, Δάφνην. ὡς
λίθινος, Νιόβην. (AP 11: 255)

¹⁰⁰ Ἀνθρώποι δειλῆς, ὅτ' ἐπίνομεν. ἦν δὲ γένηται / ὄρθρος, ἐπ' ἀλλήλους θῆρες
ἐγειρόμεθα. (AP 9: 46)

Non prodit, multis nisi circumseptus ab armis,
Non nisi gustato vescitur ante cibo.
Tutamenta quidem sunt haec, tamen haec male tutum
Illum, aliter tutus qui nequit esse, docent.
Nempe satellitium, metuendos admonet enses,
Toxica praegustans esse timenda docet.
Ergo timore locus quisnam vacat hic? ubi gignunt
Haec eadem, pellunt quae metuenda, metum.

239

IN PRIVIGNUM COLLAPSA NOVERCAE
STATUA OPPRESSUM, E GRAECO¹⁰¹
Flore novercalem cingis privigne columnam,
Morte ratus mores interiisse malos.
Te tamen illa premit subito inclinata; novercae,
Si privigne sapis, ipsa sepulchra fuge.

240

AD QUENDAM POETAM
EXTEMPORALEM
Hos quid te scripsisse mones ex tempore versus?
Nam liber hoc loquitur, te reticente, tuus.

241

IN NOVERCAS, E GRAECO¹⁰²
Privigno vel amans infortunata noverca est,
Hippolyto gravis, hoc Phaedra docere potest.

242

IN QUENDAM QUI DICEBAT CARMINIBUS
SUIS NON DEFUTURUM GENIUM
Hoc habet Hispani festivum epigramma poetae,
Victurus Genium debet habere liber.
Dum legis hunc versum, iam tu quoque scribere versus
Tota mente paras, sed sine mente tamen.
Quaeve canas, qualive modo contemnis; ea est spes
Victura haec Genio qualiacumque suo.
Namque tuis Genium vir tam geniose Camenis,
Non dubitas aliquem mox alicunde fore.

Tu tamen (et cariturus erit) tuus hic liber, opta
Ut careat Genio, qui caret ingenio.
Cui Genius vitam producat si quis, erit quis
Ex Geniis, adsunt qui tibi mille, malis.
Sed neque sic vivet, vati si credis eidem,
Nam non vivere, sed vita valere bene est.
Quod si vita libri est iugi languescere probro,
Detur et aeterna vivere morte tibi.

243

DE CUPIDITATE REGNANDI
Regibus e multis regnum cui sufficit unum,
Vix Rex unus erit, si tamen unus erit.
Regibus e multis regnum bene qui regat unum,
Vix tamen unus erit, si tamen unus erit.

244

DE DEDITIONE NERVIAE
HENRICO VIII, ANGLIAE REGI
Belliger invictam domuit te Nervia Caesar,
Non tamen extremis absque utriusque malis.
Te capit Henricus, capit et sine sanguine, princeps
Magno tam maior Caesare quam melior.
Sensit honorificum sibi rex cepisse, tibi que
Utile sensisti non minus ipsa capi.

245

DE FABULLA ET ATTALO
Fabulla nuper nescio quid Attalo
Irata, et illum commovere gestiens,
Ostendereque quam prorsus hunc nihili putet,
Iuravit illi, si sibi centum forent
Membra, mulier quibus fit, e centum tamen
Praestare dignaretur haud unum Attalo.
Non? inquit ille. Quae, malum, est istaec nova
Frugalitas tibi? quaeve parsimonia?
Certe solebas esse liberalior.
Unum ne de centum gravareris modo
Avara commodare? at aliquando unicum
Tantum quum haberes, unicum tamen, viris
Centum solebas dare benigna centies.
Hei metuo ne quid ista portendat tibi
Monstrousa tandem parcitas, magni mali.

¹⁰¹ Στήλην μητρυιῆς μικρὰν λίθον ἔστεφε κοῦρος, / ὡς βίον ἠλλάχθαι, καὶ τρόπον οἰόμενος, / ἢ δὲ, τάφῳ κλινθεῖσα, κατέκτανε παῖδα πεσοῦσα. / φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι. (AP 9: 67)

¹⁰² Μητρυιαί, προγόνοισιν ἀεὶ κακόν. οὐδὲ φιλοῦσαι / σώζουσιν. Φαῖδραν γνῶθι, καὶ Ἰππολύτον. or Μητρυιῆς δύσμηνης ἀεὶ χόλος. οὐδ' ἐν ἔρωτι / ἦπιος, οἶδα πάθη σώφρωνος Ἰππολύτου. (AP 9: 68–69)

246

DE FEBRICITANTE ET
MEDICO BIBACI
Febre laboraret mihi quum puer Hemitritaeo,
Forte ibi Sauromatae posco medentis opem.
Sensit ut admoto salientem pollice venam,
Fortis, ait, calor est, sed calor ille cadet.
Flagitat ergo cyphum, fundumque exhaurit ad imum,
Quantum nec Bitias ebibiturus erat,
Haurit, ad aequales aegrotum provocat haustus,
Et facere hoc temere ne videatur, ait,
Aestuat hic valde, valde bibat ergo necesse est,
Non parvo obruitur magna liquore pyra.

247

DE HESPERO CONFITENTE
Ex more sacro dum sacerdoti Hesperus
Commissa fassus expiaret crimina,
Explorat huius ille conscientiam,
Et cautus omne examinat scelerum genus,
Interque multa quaerit, an unquam malos
Ritu prophano crediderat in daemones.
Vah egone credam in daemones, inquit, pater?
Multo labore vix adhuc credo in deum.

248

DE OCCASIONE DEO,
E GRAECO¹⁰³
Unde erat hic plastes? Sicyonius. At quis erat, dic.
Lysippus. Tu quis? tempus ego omne domans.
Cur summis instas digitis? roto semper. At alas
Cur pedibus gestas? ut levis aura feror.
At dextram cur armat acuta novacula? signum est,
Quod conferri acies non potis ulla mihi est.

Cur coma fronte iacet? quod qui me prendere captat,
Praeveniat. Calvum est cur tibi retro caput?
Quod postquam levibus praiceps effugero pennis,
Nil aget a tergo qui revocare volet.
Unde igitur posses documentum sumere, talem
Artificis posuit me tibi docta manus.

249

DE PHYLLIDE ET PRISCO
IMPARITER AMANTIBUS
Tam Phyllis cupido bene nubet candida Prisco,
Quam bene spumanti vitrea lympha mero
Phyllida Priscus amat calido ferventius igne,
Frigidius gelida Priscus amatur aqua.
Iungetur tuto, nam si simul ardeat illa,
Sustineat flammis quae domus una duas?

250

DE NUMMIS ANTIQUIS APUD
HIERONYMUM BUSLIDIANUM SERVATIS
Roma suis olim ducibus quam debuit, illi
Tam debent omnes Buslidiane tibi.
Roma suis ducibus servata est, ipse reservas
Romanos Roma praemoriente duces.
Nam quae Caesareos antiqua nomismata vultus,
Aut referunt claros tumve priusve viros,
Haec tu saeculorum studio quaesita priorum
Congeris, et solas has tibi ducis opes.
Quumque triumphaleis densus cinis occulat arcus,
Ipse triumphantum nomen, et ora tenes.
Nec iam Pyramides procerum monumenta suorum
Tam sunt, quam pyxis Buslidiane tua.

251

AD EUNDEM
Ecquid adhuc placidam mi Buslidiane Camenam
Tua coerces capsula?
In tenebras abdis cur dignam luce? Quid illi,
Quid invides mortalibus?
Musae fama tuae toto debetur ab orbe,
Quid huic repellis gloriam?
Gratus ab hac fructus toti debetur et orbi,
Quid unus obstas omnibus?
An tibi casta procul coetu cohobenda virili
Cohors videtur virginum?

¹⁰³ Τίς; πόθεν ὁ πλάστης; Σικυόνιος. οὐνομα δὴ τίς; / Λύσιππος. σὺ δὲ, τίς; Καίρως ὁ πανδαμάτωρ. / τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας; ἀεὶ τροχάω. τί δὲ ταρσοῦς / ποσσὶν ἔχεις διφουεῖς; ἴπταμ' ὑπηνέμιος. / χειρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ξυρόν; ἀνδράσι δεῖγμα, / ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω. / ἢ δὲ κόμη, τί κατ' ὄψιν; ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι. / νῆ Δία τάξόπιθεν, πρὸς τί φαλακρά πέλει; / τὸν γὰρ ἄπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά με ποσσὶν, / οὕτως ἔθ' ἱμεῖρων δράζεται ἐξόπιθεν. / τοῖον ὁ τεχνίτης με διέπλασεν εἵνεκεν ὑμέων / ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις θῆκε διδασκαλίην. (AP 16: 275)

Sunt haec virginibus fateor metuenda, sed illis
Devirginari quae queunt.
Ede tuam intrepidus, pudor est inflexilis illi.
Nec ille rudis, aut rusticus.
Ut tua non ipsi cessura est virgo Dianae
Pudore grata lacteo,
Sic tua non ipsi cessura est virgo Minervae
Sensu, lepore, gratia.

252

AD BUSLIDIANUM DE AEDIBUS
MAGNIFICIS MECHLINIAE
Culta modo fixis dum contemplabar ocellis
Ornamenta tuae Buslidiane domus,
Obstupui: quonam exoratis carmine fatis
Tot rursus veteres nactus es artifices?
Nam reor illustres vaftris ambagibus aedes,
Non nisi Daedaleas aedificasse manus.
Quod pictum est illic, pinxisse videtur Apelles,
Quod scalptum credas esse Myronis opus.
Plastica quum video, Lysippi suspicor artem,
Quum statuas, doctum cogito Praxitelem.
Disticha quodque notant opus, at quae disticha vellet,
Si non composuit, composuisse Maro.
Organa tam varias modulis imitantia voces,
Sola tamen veteres vel potuisse negem.
Ergo domus tota est, vel saeculi nobile prisci,
Aut quod prisca novum saecula vincat opus.
At domus haec nova nunc, tarde seroque senescat,
Tunc videat dominum, nec tamen usque senem.

253

DE PHILOMENO ET AGNA
CONIUGATIS MALA FIDE
En redeunt nostro Veneris miracula saeclo
Qualia nec prisco tempore facta reor.
Flos iuvenes inter Philomenus, et Agna puellas,
Iunguntur Paphiae rite favore deae.
Ille sed heu nimium laudata voce superbit,
Illa tumet placidi laudibus ingenii.
Ergo coniugium votis tam saepe petitum
Non Veneri acceptum, sed retulere sibi.
Ingratis adimit formam dea, neve coirent

Mutati, dispar indit utrique genus.
Mox Philomenus avem quavis aestate canentem,
In cuculum, inque avidam vertitur Agna lupam.

254

MEDICINAE AD TOLLENDOS FETORES ANHELITUS
PROVENIENTES A CIBIS QUIBUSDAM
Sectile ne taetros porrum tibi spiret odores,
Protinus a porro fac mihi cepe vores.
Denuo fetorem si vis depellere cepae,
Hoc facile efficient allia mansa tibi.
Spiritus at si post etiam gravis allia restat,
Aut nihil, aut tantum tollere merda potest.

255

AD LECTOREM DE NOVO TESTAMENTO,
VERSO AB ERASMO ROTERODAMO
Sanctum opus, et docti labor immortalis Erasmi
Prodit, et O populis commoda quanta vehit!
Lex nova, nam veteri primum est interprete laesa,
Scribentum varia post vitiata manu.
Sustulerat fors mendas Hieronymus olim,
Sed periire pigro tam bona scripta situ.
Tota igitur demptis versa est iam denuo mendis,
Atque nova Christi lex nova luce nitet.
Nec tamen ambitiose singula verba notavit,
Sanctum habuit quicquid vel mediocre fuit.
Quo fit ut haec celeri si quis praetevolet ala,
Huic nihil hic magni forte putetur agi.
Idem si presso relegat vestigia gressu,
Censebit maius commodiusve nihil.

256

AD REVERENDISSIMUM ETC. THOMAM
CARDINALEM ET ARCHIEPISCOPUM
EBORACENSEM IN LIBRUM NOVI
TESTAMENTI EI AB
ERASMO DATUM
Unice doctorum pater ac patrone virorum,
Pieridum pendet, cuius ab ore chorus,
Cui populus quantum defert et cedit honore,

Virtutes infra est tantum honor ipse tuas,
Ab liber iste tuo longe tibi venit Erasmo.
Hunc precor hoc animo quo dedit ipse, cape.
Nec dubito, capies, operi nam iure favorem
Auctor, et auctori conciliabit opus.
Ille tui cultor semper fuit, est opus ipsum
Lex Christi, studium quae fuit usque tuum.
Illa paratur ab hac prudens tibi lege facultas,
Qua Momo coram reddere iura potes.
Namque ita perplexas populo mirante querelas
Discutis, ut victus non queat ipse queri.
Non humana tibi facit hoc sollertia, sed lex
Christi, iudiciis unica norma tuis.
Ergo opus hoc placido Praesul dignissime vultu
Excipe, et auctori (quod facis) usque fave.

257

AD REVERENDISSIMUM ETC. ARCH-
EPISCOPUM CANTUARIENSEM
Quod bene sunt collata tuo pie praesul Erasmo
Tanta tua toties munera prompta manu,
Quam non ducat iners, quae tu facis otia, monstrant
Multa, sed in primis indicat istud opus.
Aediderit quamvis numerosa volumina, fructu
Non sine, vincit opus cuncta priora novum.
Cunctorum utilitas, sed honor te est inter, et illum.
Praestitit ille operam, tu bone praesul opem.
At partem ille suam toto tibi pectore cedit.
Quicquid agit, meritis imputat omne tuis.
Hunc petit ille sui fructum pater alme laboris,
Carus ut hoc tu sis omnibus, ille tibi.

258

EPITAPHIUM IN SEPULCHRO IOHANNAE
OLIM UXORIS MORI, DESTINANTIS
IDEM SEPULCHRUM ET SIBI ET
ALICIAE POSTERIORI UXORI.
Cara Thomae iacet hic Iohanna uxorcula Mori,
Qui tumulum Aliciae hunc destino, quique mihi.
Una mihi dedit hoc coniuncta virentibus annis,

Me vocet ut puer et trina puella patrem.
Altera privignis (quae gloria rara novercae est)
Tam pia, quam natis vix fuit ulla suis.
Altera sic mecum vixit, sic altera vivit,
Carior incertum est, haec sit, an haec fuerit.
O simul O iuncti poteramus vivere nos tres
Quam bene, si fatum religioque sinant.

259

AD SE GESTIENTEM LAETITIA QUOD
EVASERAT TEMPESTATEM
Quid iuvat insanas maris evasisse procellas?
Laetitia est, ut non sit tibi vana, brevis.
Talis febre quies aegris intermicat, illa
Dum per acerba statas itque reditque vices.
Quam te plura manent optata tristia terra,
In rapido fuerant quam subeunda freto?
Aut ferrum aut varii praecedent funera morbi,
Quorum uno est quovis mors minus ipsa gravis.
Quin eadem tumidas frustra vitata per undas
Te premet in plumis insidiosa tamen.

260

IN PINGUEM QUENDAM PATREM CUI FREQUENS
ERAT IN ORE SCIENTIA INFLAT
Quemlibet inflat, ais, vel teste scientia Paulo,
Hanc fugis: unde igitur tu, pater ample, tumes?
Vix gestas crasso turgentem abdomine ventrem.
Inflaturque levi mens tibi stultitia.

261

IN CHELONUM
Cur adeo invisum est pigri tibi nomen aselli?
Olim erat hoc magnus, Chelone, philosophus.
Ne tamen ipse nihil differre puteris ab illo
Aureus ille fuit, plumbeus ipse magis.
Illi mens hominis asinino in corpore mansit
At tibi in humano est corpore mens asini.

262

DE FELE ET MURE

Muscipula exemptum feli dum porrigo murem
Haud avido praedam protinus ore vorat.
Sed trepidum in media captivum exponere terra
Sustinet, et miris ludere laeta modis.
Adnutat cauda, tremulis inspectat ocellis,
Et lasciva caput iactat in omne latus.
Molliter attonitum pede suscitatur, ire parantem
Corripit, inque vicem datque negatque viam.
Mox pede sublimem iaculatur, et excipit ore,
Deinde abit, et falsae spem facit usque fugae.
Excubat, et saltu fugientem laeta reprendit
Protinus inque locum quo fuga coepta redit.
Digrediturque iterum mirandoque improba sensu
Quae misero mens est experimenta capit.
Hoc dum saepe facit, securaque longius exit,
Mus rimam subito repperit et subiit.
Illa cito revocata gradu frustra obsidet antrum.
Hic latebra tectus tutus ab hoste fuit.
Muscipula occiderat, nisi quod tutela salusque
Feles, interitus quae solet esse, fuit.

263

GRATULATUR QUOD EAM REPPERIT
INCOLUMEM QUAM OLIM FERME
PUER AMAVERAT

Vivis adhuc primis O me mihi carior annis,
Redderis atque oculis Elisabetha meis.
Quae mala distinuit mihi te fortuna tot annos?
Paene puer vidi, paene reviso senex.
Annos vita quater mihi quattuor egerat, inde
Aut duo defuerant aut duo paene tibi,
Quum tuus innocuo rapuit me vultus amore,
Vultus, qui quo nunc fugit ab ore tuo?
Quum quondam dilecta mihi succurrit imago,
Hei facies quam nil illius ista refert.
Tempora quae, tenerae numquam non invida formae,
Te rapuere tibi, non rapuere mihi.
Ille decor nostros toties remoratus ocellos
Nunc tenet a vultu pectora nostra tuo.
Languidus admoto solet ignis crescere flatu,
Frigidus obruerat quem suus ante cinis.
Tuque facis quamvis longe diversa priori

Ut micet admonitu flamma vetusta novo.
Iam subit illa dies quae ludentem obtulit olim
Inter virgineos te mihi prima choros,
Lactea cum flavi decuerunt colla capilli,
Quum gena par niubus visa, labella rosis,
Quum tua perstringunt oculos duo sidera nostros
Perque oculos intrant in mea corda meos,
Quum velut attactu stupefactus fulminis haesi,
Pendulus a vultu tempora longa tuo,
Cum sociis risum exhibuit nostrisque tuisque
Tam rudis et simplex et male tectus amor.
Sic tua me cepit species: seu maxima vere
Seu maior visa est quam fuit, esse mihi.
Seu fuit in causa primae lanugo iuventae
Quumque nova suetus pube venire calor.
Sidera seu quaedam nostro communia natu,
Viribus afflarant utraque corda suis.
Namque tui consors arcani conscia pectus
Garrula prodiderat concaluisse tuum.
Hinc datus est custos ipsique potentior astris
Ianua quos vellent illa coire vetat.
Ergo ita disiunctos diversaque fata secutos,
Tot nunc post hiemes reddidit ista dies.
Ista dies qua rara meo mihi laetior aevo,
Contigit occursum sospitis alma tui.
Tu praedata meos olim sine crimine sensus,
Nunc quoque non ullo crimine cara manes.
Custus amor fuerat; ne nunc incestor esset,
Si minus hoc probitas, ipsa dies faceret.
At superos qui lustra boni post quinque valentem
Te retulere mihi, me retulere tibi,
Comprecor ut lustris iterum post quinque peractis
Incolumis rursus contuar incolumem.

264

T. MORUS MARGARETAE ELISABETHAE
CECILIAE AC IOANNI DULCISSIMIS
LIBERIS S. P.

Quattuor una meos invisat epistola natos
Servet et incolumes a patre missa salus.
Dum peragratur iter, pluvioque madescimus imbre
Dumque luto implicitus saepius haeret equus,
Hoc tamen interea vobis excogito carmen
Quod gratum (quamquam sit rude) spero fore.
Collegisse animi licet hinc documenta paterni,

Quanto plus oculis vos amet ipse suis.
Quem non putre solum, quem non male turbidus aer,
Exiguusque altis trans equus actus aquas
A vobis poterant divellere, quominus omni
Se memorem vestri comprobet esse loco.
Nam crebro dum nutat equus casumque minatur
Condere non versus desinit ille tamen.
Carmina quae multis vacuo vix pectore manant
Sollicito patrius rite ministrat amor.
Non adeo mirum si vos ego pectore toto
Complexor, nam non est genuisse nihil.
Provida coniunxit soboli natura parentem,
Atque animos nodo colligat Herculeo.
Inde mihi tenerae est illa indulgentia mentis,
Vos tam saepe meo sueta fovere sinu.
Inde est vos ego quod soleo pavisse placenta,
Mitia cum pulchris et dare mala piris.
Inde quod et Serum textis ornare solebam,
Quod numquam potui vos ego flere pati.
Scitis enim quam crebra dedi oscula, verbera rara.
Flagrum pavonis non nisi cauda fuit.
Hanc tamen admovi timideque et molliter ipsam,
Ne vibex teneras signet amara nates.
Ah ferus est dicique pater non ille meretur,
Qui lacrimas nati non fleat ipse sui.
Nescio quid faciant alii, sed vos bene scitis
Ingenium quam sit molle piumque mihi.
Semper enim quos progenui vehementer amavi
Et facilis (debet quod pater esse) fui.
At nunc tanta meo moles accrevit amori
Ut mihi iam videar, vos nec amasse prius.
Hoc faciunt mores puerili aetate seniles,
Artibus hoc faciunt pectora culta bonis.
Hoc facit eloquio formatae gratia linguae
Pensaue tam certo singula verba modo.
Haec mea tam miro pertentant pectora motu
Astringuntque meis nunc ita pignoribus,
Ut iam quod genui, quae patribus unica multis
Causa est affectus, sit prope nulla mei.
Ergo natorum carissima turba meorum
Pergite vos vestro conciliare patri.
Et quibus effectum est vobis virtutibus istud
Ut mihi iam videar vos nec amasse prius,
Efficitote (potestis enim) virtutibus iisdem,
Ut posthac videar vos nec amare modo.

265

EXCUSAT QUOD DUM LOQUERETUR
CUM EXIMIO QUODAM PATRE,
NOBILEM QUANDAM MATRONAM
INGRESSAM THALAMUM, ATQUE
ALIQVANDIU COLLOQUENTIBUS
ILLIS ADSTANTEM NON
ANIMADVERTERAT
Quum tua dignata est bonitas me visere nuper,
Atque humilem praesul magne subire casam:
Interea dum verba seris tam dulcia mecum
Penderem ut vultu totus ab ipse tuo,
Ecce, quod ah mihi sero mei retulere ministri,
Nempe (ubi tot res est acta diebus) heri,
Matrona ingreditur, cultu spectanda superbo
Sed quem forma tamen vicit, et hanc probitas.
Venit in usque torum, stetit et mihi tempore longo
Proxima, contingens et cubito cubiturn.
Inspicit antiquae selecta numismata formae,
Claraque tam claris gaudet imaginibus.
Sumere dignatur tenuis bellaria mensae,
Venit et a dulci dulcior ore sapor.
Nostra nec in tantum vertuntur lumina lumen
O mihi plus ipso nate stupore stupor.
Nunc ignosco mei quod non monuere ministri,
Tam stupidum certe nemo putavit erum.
O oculos, longe qui prospexisse solebant,
Si qua refudisset tale puella iubar.
An senui? torpentque meo mihi corpore sensus?
Surgenti an genius mane sinister erat?
An tu, ne nisi te quicquam sentire valerem,
Surpueras lepido me mihi colloquio?
Arte lyraque feras in se converterat Orpheus,
In te mellifluis vertor et ipse sonis.
Sed tuus intentat magnum lepor iste periculum,
Neglectam sese ne putet illa mihi,
Hospita ne limis quum tam prope staret ocellis
Vidisse, et visam dissimulasse ferar.
At vel hiulca prius mihi terra dehisceret optem,
Quam sit in hoc animo tam fera barbaries,
Ut si quando, leves veluti mihi missa per auras
In thalamum penetret candida nympha meum,
Non saltem aspiciam (si plura licere negetur)
Quaque licet memet candidus insinuem.
Ut miserum est non posse loqui! nam cuncta fatetur,
Qui sermonis inops nulla negare potest.

Nunc mihi sermonis quia non est copia Galli
Quae sola est dominae patria lingua meae,
Omnibus absolvar, non excusabimur uni
Iudice qua, causa statque caditque mea.
Vulnus ab Aemonia qui quondam pertulit hasta,
Rursus ab Aemonia est cuspide nactus opem.
Dedecus hoc lepidae quoniam peperere fabellae
(Quum dominae et mihi me surripuere) tuae,
Dedecus hoc lepidae debent purgare fabellae
Meque meae dominae conciliare tuae.

266

VERSUS SUMPTI EX *ANTIMORO*
BRIXII AD QUOS ALLUDIT EPIGRAMMA
QUOD SUBIUNGITUR.

Haec mihi dictanti astabant dirae auribus omnes,
Et furiae infernis concita turba vadis:
Allecto, et sacris caput irretita colubris,
Tisiphone, et terrens ore Megaera truci.

MORUS

Brixius audivit postquam id reprehendere multos,
Quod falsa tantum scriberet,
Corrigere ut possit vicium hoc, aliquid modo visum est
Verum quod esset aedere,
Quod foret indubium, quod verum nemo negaret,
Auctore quamquam Brixio.
Vix reperit quicquam cui non tamen ipsius omnem
Fidem elevaret vanitas.
Ast ubi dispexit mentemque per omnia torsit
Deliberabundus diu,
Unum tandem, omnes una quod voce fatentur,
Omni esse vero verius,
Invenit et scribit lepidum lepidissimus omnes
Cingere caput sibi furias.

267

IN CHORDIGERAM NAVEM ET
ANTIMORUM SILVAM GERMANI
BRIXII GALLI

Brixius en Germanus habet silvamque ratemque
Dives opum terra, dives opum pelago.
Utraque vis illi quid praestat scire? vehuntur
In rate stultitiae, silvam habitant furiae.

268

IN HUNC HENDECASYLLABUM IMMO
TREDECIM SYLLABARUM VERSUM
GERMANI BRIXII GALLI EX
ANTIMORO SUMPTUM

Excussisse hominumque in ora protulisse.

MORUS

Quod versus adeo faceres enormiter amplos
Quam nemo antiquus nemo poeta novus,
Saepe diu mecum miratus quaerere coepi
Accidit hoc Brixii qua ratione tibi?
At tandem didici metiri te tua suetum
Non numero aut pedibus carmina, sed cubitis.

269

IN IDEM

Carmina Germani quod in hendecasyllaba, lector,
Syllaba coniecta est terna super decimam,
Da veniam: haud didicit tantum numerare, ut ab uno,
Ordine perveniat rectus ad undecimum.
Nolo mihi numeret stellas aut aequoris undas,
Criminave (hoc plus est) carminis ipse sui.
Pergama si numeret quot sunt obsessa per annos,
Si poterit Musas dinumerare novem,
Octo pedes Cancrī, septena vel ostia Nili,
Fastorumve libros qui tibi, Naso, manent,
Si numeret caeli plagas, Phoebive caballos,
Tres numeret furias, ter tribus ipse furens,
Ipse suos (sed ne certem sine pignore, dura
Si vincar vinci conditione volo
Ipse suos oculos (quum sint duo) si numerarit,
Unum ego tunc patiar perterebretis ei.

FINIS.

[Poems in the 1518 Edition, but not in the 1520 edition]

270

IN FATUM, E GRAECO¹⁰⁴

Si ferris ferre et fer; sin irasceris, et te
Laeseris, et quod fert te feret, immo trahet.

271

IN IACOBUM REGEM SCOTORUM

Dum pius Henricus victricibus asserit armis
Romano te iterum, Gallia, pontifici,
Scotorum Iacobus regnum rex ecce Britannum
Occupat, infestis impius agminibus.
Foedera non illum toties iurata morantur,
Coniugis in fratrem quin ferat arma suae,
Quin Gallo fidei comitem se adiungeret hosti,
Quin cuperet Petri mergere naviculam.
Nec mirum est, scelera haec si vir conceperit: infans
Caede patris teneras imbuat ante manus.
Ergo volente Deo, periit cum strage suorum.
Exitus et scelerum qui solet esse fuit.

[Poems not in the editions of 1518 or 1520]

272

[Verses from the last of a series of
nine pageants painted on cloth
The Poet]

Has fictas quemcumque iuvat spectare figuras,
Sed mira veros quas putat arte homines,
Ille potest veris animum sic pascere rebus,
Ut pictis oculos pascit imaginibus.
Namque videbit uti fragilis bona lubrica mundi
Tam cito non veniunt, quam cito pretereunt.
Gaudia laus et honor celeri pede omnia cedunt,
Qui manet excepto semper amore Dei.

Ergo homines, levibus iam iam diffidite rebus,
Nulla recessuro spes adhibenda bono.
Qui dabit aeternam nobis pro munere vitam,
In permansuro ponite vota deo.

273

THOMAE MORI, DISERTI ADULESCENTI IN
LUCUBRATIUNCULAS HOLTIAEAE. EPIGRAMMA.

Quem legis Holtiadae tenerum pia furta libellum,
Seu vir seu puer es, lac puerile voca.
Dulce sed et meritum liber hic me iudice nomen,
Lactea qui pueris dogmata prestat, habet.
Vos Angli legite haec iuvenes, in maxima quorum
Exiguum quamvis commoda surgit opus.
Quae vos in minimum legitis digesta libellum
Praecepta in paucos pauca legenda dies,
Holtiades eadem vigili quaesita labore
Legit ab innumeris pauca voluminibus.
Sedulius ille vagus sese circumtulit agris.
Mellifera officio quam bene functus apis.
Quicquid ibi in dulces saporis congregavit acervos
Mellis in hunc parvum rettulit alveolum.
Hoc opus Anglorum cupienti intrare iuventae
Prima sit in reliquam ianua grammaticam.
Hanc tamen ante forem docti struxere, sed horum
Quisque suos Latio fecerat ore modos.
Quid bene fulta penus prodest tibi, quando retentat
Ianua magnificos irreseranda cibos?
Angle puer, Latio quid ages sermone? sapisse
Non potes in primo verba Latina die.
Te decet altricis tenerum recubare sub alis
Discereque ex verbis non tua verba tuis.
Structa sed et verbis iam pridem ianua nostris
Grammaticae, verum si fateamur, erat.
Illa tamen vetus et tunsu lacerata frequenti
Quae vix assiduo pulsa labore crepat.
Ianua nostra nova est teneraeque facillima turbae,
Ad digiti minimum quam cito aperta sonum.

274

THOMAE MORI EPIGRAMMA

Macte puer, gaude lepido quicumque libello
Deliciisque tuis pastus es Holtiadae.

¹⁰⁴ Εἰ τὸ φέρον σε φέρει, φέρε καὶ φέρου· εἰ δ' ἀγανακτεῖς, / καὶ σαυτὸν λυπεῖς,
καὶ τὸ φέρον σε φέρει. (AP 10: 73)

Nec tibi dat carnes nec acerbos arbuta fructus,
Dat tibi quae dulci pocula lacte fluunt.
Carnis in invalida massa gravis incubat alvo,
Arbuta non sapidae sunt levis umor aquae.
At lac et infantem sine pondere nutrit alumnum,
Lactis et infanti dulcis in ore sapor.
Pastus es hoc igitur. Visum est decuisse, nequibat
Grandia tam tenerum pondera ferre iecur.
Nunc ubi desieris lactare, alimenta monemus
Non mellita nimis, fortia sume magis.
Ergo aut Sulpicii placida lepidissime mensa
Utilibus Phocae vel satur esto cibus.
Aut Sepontini bibito nova musta Perotti
Aut Diomedeis condita mulsa cadis
Aut alium quemcumque velis imitari opta,
Dulcia qui caute misceat utilibus.
Precipue sed Sulpitii documenta capesses,
Holti consiliis use vel use meis.
Discenda Holtiades heteroclita liquit ab illo
Et quodcumque tenent nomina quaeque genus.
Recta leges illic quae sit constructio, sed post
Preterita et verbis iuncta supina suis.
Sedulus et tandem longe pulcherrima disces
Carmina limitibus continuisse suis.
Ergo musarum choreas ingressa iuventus,
Quum per Sulpicium plectra lyramque geres,
Dic modo, ferre lyram quum dextra nequiverat, Holtas
Admovit labris ubera cara meis.

275

THOMAE MORI IN PROGYMNASMATA LINCARI

Qui leget haec sensim docti precepta Linacri
Dicere (si teneat quae legit inde) volet:
Post tot grammatices immensa volumina parvus
Non tamen incassum produit iste liber.
Exiguus liber est. Sed gemmae more nitentis
Exiguo magnum corpore fert pretium.

276

Versus in tabulam duplicem, in qua Erasmus ac Petrus Aegidius simul erant expressi per egregium artificem Quintinum, sic ut apud Erasmum exordientem Paraphrasin in epistolam ad Romanos, picti libri titulos praeferrent suos, et Petrus epistolam teneret, Mori manu inscriptam ipsi, quam et ipsam pictor effinxerat.

TABELLA LOQUITUR

Quanti olim fuerant Pollux et Castor amici,
Erasmum tantos Aegidiumque fero.
Morus ab his dolet esse loco, coniunctus amore
Tam prope quam quisquam vix queat esse sibi.
Sic desiderio est consultum absentis, ut horum
Reddat amans animum littera, corpus ego.

IPSE LOQUOR MORUS

Tu quos aspicias, agnitos opinor
Ex vultu tibi, si prius vel umquam
Visos, sin minus, indicabit altrum
Ipsi littera scripta, nomen alter,
Ne sis nescius, ecce scribit ipse,
Quamquam is qui fiet, ut taceret ipse,
Inscripti poterant docere libri,
Toto qui celebres leguntur orbe.
Quintine O veteris novator artis,
Magno non minor artifex Apelle,
Mire composito potens colore
Vitam affingere mortuis figuris,
Hei cur effigies labore tanto
Factas tam bene, talium virorum
Quales prisca tulere saecula raros,
Quales tempora nostra rariores,
Quales haud scio post futura an ullos,
Te iuvit fragili indidisse ligno,
Dandas materiae fideliori,
Quae servare datas queat perennes?
O si sic poteras tuaeque famae, et
Votis consuluisse posterorum!
Nam si saecula quae sequentur ullum
Servabunt studium artium bonarum
Nec Mars horridus obteret Minervam,
Quanti hanc posteritas emat tabellam!

277

[On a friar who objected to
comparing friends with brothers]
Duos amicos versibus paucis modo
Magnos volens ostendere,
Tantos amicos dixeram, quanti olim erant
Castorque Polluxque invicem.
Fratres amicus, ait, inepte comparas,
Ineptiens fraterculus.
Quid ni? inquam. An alteri esse quisquam amicior
Quam frater est fratri potest?
Irrisit ille inscitiam tantam meam,
Qui rem tam apertam nesciam.
Est ampla nobis, inquit, ac frequens domus,
Plus quam ducentis fratribus,
Sed ex ducentis, pereo, si reperis duos
Fratres amicos invicem.

278

D. THOMAE MORI TETRASTICHON AB IPSO
CONSCRIPTUM TRIENNIO ANTEQUAM MORTEM
OPPETERET
Moraris, si sit spes hic tibi longa morandi:
Hoc te vel morus, More, monere potest.
Desine morari, et caelo meditare morari:
Hoc te vel morus, More, monere potest.

ALIUD EIUSDEM DISTICHON
EODEM CONSCRIPTUM TEMPORE
Qui memor es Mori, longae tibi tempora vitae
Sint, et ad aeternam pervia porta, mori.

279

THOMAE MORI TETRASTICHON
Seu numeris astricta probas, seu libera verba,
Si pia scripta tibi, si tibi docta placent,
Haec lege, quae musis, quae plenus Apolline scripsit,
Buslidius patrii gloria rara soli.

280

Misisti mihi quae legenda legi;
Legi sed pariter libens dolensque,
Valde atrocia non videre laetus.
Istis congruit auctor ipse scriptis:
Vir numquam bonus, optimusque semper,
Vir vere malus, optimus malorum.

281

[a mathematical mnemonic]
A plure deme plusculum.
Minus minori subtrahe.
Pluri minus coniungito.
Atque ad minus plus adice.